Augsburg Confession.

CONFESSIO AUGUSTANA

EAQUE INVARIATA

EX EDITIONE MELANCHTHONIS PRINCIPE ACCURATE REDDITA

NONNULLISQUE ANIMADVERSIONIBUS

HISTORICIS EXEGETICIS DOGMATICIS ET CRITICIS

ILLUSTRATA

A

MICHAËLE WEBERO

PHILOSOPHIAE ET SCRIPTURAE S. DOCTORE

PRIMO THEOLOGIAE PROFESSORE

IN UNIVERSITATE LIT. FRIDERICIANA UTRAQUE HALIS CONSOCIATA

EQUITE AQUILAE RUBRAE TERTII ORDINIS.

PRAEMISSA EST EPISTOLA JOH. BRENTII AD ISENMANNUM, HALENSEM, DE COMITIIS AUGUSTANIS.

HALIS

MDCCCXXX.

Jesus Christus.

Πᾶς, ὅςις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Ὅςις δ᾽ ἂν ἀρνήσηταί με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους, τοῦτον ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ τοῦ πατρὸς, καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων.

Martinus Lutherus.

„Mich freuet nur, zu einer solchen Zeit zu leben, da Christus von so theuern Bekennern in einer so ansehnlichen Versammlung durch diese herrliche Confession öffentlich ist verkündigt, und der Spruch ist erfüllet worden: **Ich rede von deinen Zeugnissen vor Königen.** Ja, es wird auch erfüllt werden, was darauf folgt: **und ich werde nicht zu schanden.** Denn wer mich **bekennet vor den Menschen u. s. w.:** so spricht der, der nicht leugt. — Das Bekenntnis ist gewißlich im Latein und Deutsch mit göttlicher Schrift im Grunde und mit solchem Glimpf gefaßt gewest, daß dergleichen Bekenntnis nicht allein in 1000 Jahren, sondern dieweil die Welt gestanden, nie geschehen ist. — Die Widersacher meynen, sie haben's fast wohl troffen, daß sie das Predigen haben durch kayserl. Maj. Gebot verbieten lassen; sehen aber nicht, die elenden Leute, daß durch dieses schriftliche Bekenntnis, überantwortet, mehr gepredigt ist, denn vielleicht sonst 10 Prediger hätten thun mögen. Ist's nicht eine feine Klugheit und großer Witz, daß **M.** Eisleben und andre mußten schweigen? **Aber dafür tritt auf der Churfürst zu Sachsen, samt andern Fürsten und Herren, mit der schriftlichen Bekenntnis, und predigen vor kayserlicher Majestät und dem ganzen Reiche unter ihre Nasen, daß sie es hören mußten, und nicht darwider können reden.**"

---

* * *

EPISTOLA
JOH. BRENTII AD ISENMANNUM HALENSEM DE COMITIILS AUGUSTANIS.

Salutem in Christo. Exſpectas fortaſſis, amiciſſime frater, quid novarum rerum, posteaquam nunc Caeſar Augustam venit, comitia illa parturiant. Itaque, ne quid cupidum tuum animum celem, vera ex ordine narrabo.

Imperator *Carolus* ingreſſus est urbem Augustam *in vigilia corporis Christi post meridiem intra octavam et nonam*, comitante omnium Principum, qui antea advenerant, turba: nam Principes obviam ei honoris cauſa proceſſerant. Ingreſſus autem est unâ et Rex *Ferdinandus*, cum legato apoſtolico, qui est Cardinalis ille, *Laurentius Campegius*.

Statim autem ut Caeſar ad conclave ſuum cum fratre *Ferdinando* pervenit, eadem nocte, una eademque nocte ingreſſus ſui vocavit ad ſeſe nostros tres Principes, *Johannem*, Electorem Sax., *Georgium*, Marchionem Brandenb., et *Philippum*, Landgravium Haſſiae, quos *Evangelicos* vocant*), et vocavit *ſolos* ad ſe *ſolum*; praeſente tantum *Ferdinando*, qui et interpres erat.

Vocatos rogavit, et, ut *principaliter* loquar, *postulavit* ab iis, ut conciones ſuas, quas Augustae publice haberent, omitterent, et concionatoribus ſuis, ne Augustae praedicarent, prohiberent, mandarent, inculcarent. Idem postea actum est cum ſenatu Augustano, ut et ille ſuis concionatoribus ſilentium mandaret. Senatus Augustanus mox obtemperavit. Nostri Principes negarunt, ſe hac in parte obſecuturos, cauſantes, ſe non poſſe cibo verbi divini carere, ac ſanâ conſcientiâ evangelion negare, id quod videantur facere, ſi *ante cauſae cognitionem* conciones ſuas omitterent.

Perſtitit Caeſar in postulatione; perſtiterunt illi in recuſatione. Noluit tamen eadem nocte Caeſar recuſationem accipere; ſed conceſſit iis tempus, ut deliberarent ſecum, ac, *facto mane*, reſponderent. Cum ergo mane rurſus ad Caeſarem acceſſiſſent; eadem reſponderunt, quae prius, videlicet, non eſſe justum, ut priventur verbo Dei; praeterea, hanc Caeſaris postulationem eſſe contra ſententiam literarum, quibus comitia coacta ſint. In illis enim Principes vocantur ad *cognoſcendam cauſam, non, ut ante cauſae cognitionem conciones prohibeantur.*

Caeſar, nihil motus his rationibus, perſeveravit in ſua postulatione; illi quoque, nihil moti Caeſaris majestate, perſeverarunt in ſua recuſatione. Atque ita contra Caeſaris postulationem perrexerunt nostri in concionando.

---

*) **Evangelicos?** Quidni potius **Protestantes?** Evangelici ſunt Christiani. Male igitur, ſi ipſi Pontificii Christiani nec eſſe, nec vocari volunt, et **Papistae** aut **Traditionarii** haberi nominarique malunt.

Sed ut *totam* rem cognoſcas *in primo congreſſu*, *Ferdinandus* dux fuit verbi Caeſaris. Cum is iterum atque iterum inſtaret, ut obſequerentur; reſpondit coram *Caeſare* et *Ferdinando* Princeps, *Georgius*, Marggravius, ut ſimpliciter, ita magnanimiter: **Ehe ich mir will das Wort Gottes nehmen laſſen, und meinen Gott verläugnen, ehe will ich itzt niederknien, und mir den Kopf laſſen abhauen.** — Hanc vocem et Princeps nobis retulit, et alii Principes, qui tunc aderant, de Marggravio retulerunt. Gratias agimus Domino inceſſanter ob tam ingenuam et conſtantem confeſſionem. Certe nunquam crediſiſſem, tantam pietatem in eo viro latere.

Sed nondum actionis finis. Nam cum Principes Caeſari reſponderent: **Sie könnten nicht mit gutem Gewiſſen der Kaiſerl. Maj. Begehr thun, und die Predigt unterlaſſen**; reſpondit *Ferdinandus*: **So könnte Kaiſerl. Maj. daſſelbe nit leiden.** Ad haec ſtatim intulit Landgravius, **Kaiſerl. Maj. Gewiſſen ſey kein Herr und Meiſter über ihr Gewiſſen.** — Sicque ea nocte diſceſſum est.

Quae *altero* die gesta ſunt, antea partim recenſui. Nunc reliqua adjiciam.

Cum Caeſar non poſſet petitione ſua impetrare, ut conciones mitterentur; rogavit, ut ſe comitarentur in proceſſione cum ſacramento eucharistiae (*erat enim festum corporis Christi*), et ſaltem in laudem et honorem Dei illud facerent. Illi *etiam hoc* [cum praefatione tamen honoris, ut ſolennis est mos de obedientia in rebus corporalibus] *negantes* ad ſua hospitia diſceſſerunt.

Hinc ſecutae ſunt graviſſimae minae, jactatae ſeveriſſimae Caeſaris [qui tamen clementiſſimi est ingenii, *ſed a ſaevitia legati Romanenſium captivi*] indignationes, ita, ut paene de comitiorum proceſſu deſperaretur, et res videbatur in extremam perniciem evaſura. Sed Deus O. M. ex alto reſpiciens rem ad mitius traduxit. Nam *heri*, convocatis nostris Principibus, ita transactum est, ut, durantibus comitiis, ceſſare debeant Augustae omnes, tam Papistarum, quam Evangelicorum, conciones. Solus Caeſar potestatem habet, aliquot concionatores inſtituendi, *qui evangelium pure doceant, et qui ſtudiis partium non ſint* addicti. Rejectus autem est nominatim *Faber* ille, qui apud *Ferdinandum* agit, *ut nec Caeſar illum, tanquam ſuſpectum, ad concionandum vocet.* Unde omnes nunc avidiſſime exſpectant, quales Caeſar concionatores Augustae inſtituere velit, qui *nec contra nostram*, *nec contra papisticam doctrinam* interim concionentur.

Faxit Deus, ut gloria Dei promoveatur: nam *crastinus* dies ad *principium* comitiorum indictus est. Cantabitur Miſſa de Spiritu ſancto; ſed formidant multi, ne, *ablato Spiritus vehiculo*, [quod est verbum Dei], Spiritus ſ. ad Augustam, *pro pedum imbecillitate*, pervenire non poſſit. —

Tu interim, cum Diaconis, fratribus cariſſimis, et eccleſia, orate Dominum inceſſanter, ut reſpiciat ſuam miſericordiam, non peccata nostra, et dignetur nobis ſua gratia affulgere.

Vale, ex Augusta, *Dominica die post corporis Christi.* Anno XXX.

PRAEFATIO

AD CAESAREM, CAROLUM V.

Invictissime Imperator, Caesar Auguste, Domine Clementissime, *Cum* V. C. M. indixerit conventum Imperii Augustae, ut deliberetur de auxiliis contra Turcam, atrocissimum, hereditarium, atque veterem christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius scilicet furori et conatibus durabili et perpetuo belli apparatu resisti possit; *deinde* et de dissensionibus in causa nostrae sanctae religionis et christianae fidei, et ut in hac causa religionis partium opiniones ac sententiae inter sese in caritate, lenitate, et mansuetudine mutua audiantur coram, intelligantur, et ponderentur, ut illis, quae utrinque in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis et correctis, res illae ad unam simplicem veritatem et christianam concordiam componantur et reducantur, ut de cetero a nobis una, sincera, et vera religio colatur et servetur, ut, quemadmodum sub uno Christo sumus et militamus, ita in una etiam ecclesia christiana, in unitate et concordia vivere possimus; *cum*que nos infra scripti, Elector et Principes, cum aliis, qui nobis conjuncti sunt, perinde ut alii Electores, et Principes, et Status, ad praefata comitia evocati simus, ut Caesareo mandato obedienter obsequeremur: mature venimus Augustam, et, quod citra jactantiam dictum volumus, *inter primos adfuimus.*

Cum igitur V. C. M. Electoribus, Principibus, et aliis Statibus imperii etiam hic Augustae sub ipsa initia horum comitiorum inter cetera proponi fecerit, quod singuli Status imperii, vigore Caesarei edicti, suam opinionem et sententiam in *germanica* et *latina* lingua proponere de-

beant atque offerre, et, habita deliberatione, *proxima feria quarta* rurſum reſponſum *est* (ſit) V. C. M., nos *proxima feria ſexta**) Articulos nostrae Confeſſionis pro nostra parte oblaturos eſſe; ideo, ut V. M. voluntati obſequamur, offerimus in hac religionis cauſa *nostrorum concionatorum* et *nostram Confeſſionem*, cujusmodi doctrinam ex ſcripturis ſanctis et puro verbo Dei hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus, et urbibus tradiderint, ac in eccleſiis tractaverint

Quod ſi ceteri, Electores, Principes, ac Status imperii, ſimilibus ſcriptis, *latinis* ſcilicet et *germanicis*, juxta praedictam Caeſaream propoſitionem, ſuas opiniones in hac cauſa religionis produxerint; hic nos coram V. C. M., tanquam Domino nostro Clementiſſimo, paratos offerimus, nos cum praefatis Principibus et amicis nostris de tolerabilibus modis ac viis amice conferre, ut, quantum honeste fieri potest, conveniamus, et, re inter nos partes citra odioſam contentionem pacifice agitata, Deo dante, diſſenſio dirimatur, et ad unam veram concordem religionem reducatur, ſicut omnes ſub uno Christo ſumus et militamus, et unum Christum confiteri debemus, juxta tenorem edicti V. C. M., et omnia ad veritatem Dei perducantur: id quod ardentisſimis votis a Deo petimus.

Si autem, quod ad ceteros, Electores, Principes, et Status, ut partem alteram, attinet, haec tractatio cauſae religionis eo modo, quo V. C. M. agendam et tractandam ſapienter duxit, *ſcilicet cum tali mutua praeſentatione ſcriptorum ac ſedata collatione inter nos*, non processerit, nec aliquo fructu facta fuerit; nos quidem testatum clare relinquimus, hic nihil nos, quod ad christianam concordiam (quae cum Deo et bona conſcientia fieri poſſit) conciliandam conducere queat, ullo modo detrectare: quemadmodum et V. C. M., deinde et ceteri Electores et Status imperii, et omnes, quicunque ſincero religionis amore ac ſtudio tenentur, quicunque hanc cauſam aequo animo audituri ſunt, *ex hac nostra et nostrorum Confeſſione* hoc clementer cognoſcere et intelligere dignabuntur.

Cum etiam V. C. M. Electoribus, Principibus, et reliquis Statibus imperii non una vice, ſed ſaepe clementer ſignificaverit, et in comitiis Spirenſibus, quae Anno Domini cet. XXVI.

*) Steterunt promiſſo, Confeſſionem *feria ſexta*, d. XXIV. Jun., offerentes praelegendam; ſed *feria demum ſeptima*, d. XXV. Jun. eam praelegere licuit, *Carolo* tandem concedente.

habita funt, ex data et praefcripta forma Vestrae Caefaeae inftructionis et commisfionis recitari et publice praelegi fecerit, Vestram M. in hoc negotio religionis ex caufis certis, quae V. M. nomine allegatae funt, non velle quicquam determinare, nec concludere posfe, fed apud Pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de *congregando concilio generali*: (quemadmodum idem latius expofitum est *ante annum in publico proximo conventu, qui Spirae congregatus fuit*, ubi V. C. M. per Dominum *Ferdinandum*, Bohemiae et Hungariae Regem, amicum et Dominum clementem nostrum, deinde per Oratorem, et Commisfarios Caefareos, haec inter cetera proponi fecit, quod V. C. M. intellexisfet et expendisfet Locumtenentis V. C. M. in imperio, et Praefidentis, et Confiliariorum in regimine, et legatorum ab aliis Statibus, qui Ratisponae convenerant, deliberationem de *concilio congregando*, et quod judicaret etiam V. C. M., utile esfe, ut congregaretur concilium, et, quia caufae, quae tum tractabantur inter V. C. M. et Rom. Pontificem, vicinae esfent concordiae et christianae reconciliationi, non dubitaret V. C. M., quin Rom. Pontifex adduci posfet ad habendum *generale concilium*; ideo fignificabat V. C. M., fe operam daturam, ut praefatus Pontifex maximus unà cum V. C. M. *tale generale concilium* primo quoque tempore emisfis literis publicandum congregare confentiret): *in eventum ergo talem*, quod in caufa religionis disfenfiones inter nos et partes *) amice et in caritate non fuerint compofitae, tunc coram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus, ex fuperabundanti comparituros et caufam dicturos *in tali, generali, libero, et christiano concilio*, de quo congregando in omnibus comitiis imperialibus, quae quidem annis imperii V. C. M. habita funt, per Electores, Principes, et reliquos Status imperii femper concorditer actum, et congruentibus fuffragiis conclufum est. Ad cujus etiam generalis concilii conventum, fimul et ad V. C. M., in hac longe maxima et gravisfima caufa *jam ante etiam* debito modo et in forma juris provocavimus et *appellavimus* **).

---

*) Fabr. *inter nos et alteram partem* — Fortasfe leg. *inter nos partes* — uti fupra.

**) Status Lutherani inde dicti funt die appellirenden Stände.

Cui *appellationi* ad V. C. M., ſimul et concilium, adhuc adhaeremus, neque eam per hunc vel alium tractatum (niſi cauſa inter nos et partes, juxta tenorem Caeſareae proximae citationis, amice in caritate compoſita, ſedata, et ad christianam concordiam reducta fuerit) deſerere intendimus aut poſſumus: de quo *hic etiam* ſolenniter et publice *protestamur* *).

*) Augustanae Confeſſioni addictos inde *Protestantium* nomen accepiſſe, non minus conſtat, quam *Protestantes* recentiores ab antiquioribus multum differre. *Protestantes*, qui nostra ſunt aetate, omnes ad *duo* revocari poſſunt genera: ſunt enim vel *Naturalistae*, vel *Supernaturalistae*, et illi quidem vel *rationales*, vel *irrationales*, hi autem et ipſi vel *rationales*, vel *irrationales*. Vulgaris diſtinctio *Rationalistarum* et *Supernaturalistarum* inepta est, minus recta parumque logica. Ego quidem, ſextum et ſeptuageſimum aetatis agens annum, *Supernaturalismum rationalem*, quem ſemper ex animi ſententia amplexus ſum, ore ac literis ingenue, aperte, perſpicue propoſui, ac ſine ullo hominum metu, ſine ulla ſimulatione aut diſſimulatione, omni modo et quavis data occaſione, ſtrenue defendere ſtudui, nunc quoque amplector, propono, defendere ſtudeo, atque ad mortem usque, a qua proxime abſum, bono cum Deo mihi conſtabo.

Hunc *rationalem* Supernaturalismum meum jam dudum explicui, non tam in libro meo *fatali*, cujus exempla omnia, quae Vitebergae reſtabant, Francogalli, Martis furore correpti, in uſum bellicum convertere, penitusque delere non dubitarunt, (*Libri ſymbolici eccleſiae evangelico — Lutheranae accuratius editi, variique generis animadverſionibus ac disputationibus illustrati — Volumen I. continens tria ſymbola oecumenica, utrumque Catechismum Lutheri, et Confesſionem Augustanam cum Reſponſione pontificia, ſeu Confutatione, quae dicitur, eaque duplici, e codice Pflugiano ac Desſavienſi. — Vitebergae* 1809. *ſumtibus Immanuelis Seibtii* —), quam potius in alio, hanc praeſcriptionem habente: *Confesſio Aug. et Reſponſio pontif. ſumma diligentia ac fide e codice Desſavienſi exſcripta cum Prolegomenis* (de Protestantium biblicorum et antibiblicorum discrimine) *et Epilegomenis. Vitebergae* 1810. *ſumtibus Auguſti Kuhnii.* —

Tantum vero abfuit, ut, cum Halas migraſſem, propter ſedis domiciliique mutationem, meam de religione christiana ſententiam mutarem, meumque Supernaturalismum miſſum facerem, ut ſaepius etiam declararem, ſummaque cum perſpicuitate iterum iterumque explanarem et confirmarem. Videſis librum meum *Anti-Brenneccianum* (Gift und Gegengift — in der Ruffschen Buchhandlung, Halis 1820.) — Videſis *Opuscula mea academica, eaque* *apologetica* (Lipſiae ſumtibus *Hartmanni* 1828.) — Videſis *cenſuram meam concionis* b. *Reinhardi* maxime improbandae ac tanto viro prorſus indignae. — Vom Glauben ohne Zeichen und Wunder — (Journal für Prediger, 75ster B. 3tes St. Halle bey Kümmel) — Videſis denique proluſiones meas haud paucas, Halis quoque Academiae nomine ſcriptas ac distributas.

„Die jetzigen Protestanten protestiren gewaltig — wider die Bibel —. Sie wollen wohl Protestanten, aber keine protestantischen Christen seyn. — In der That, sie haben große Fortschritte gemacht. Über das alte Testament sind sie schon längst fortgeschritten, und am neuen sind sie nur noch mit einem Absatze hängen geblieben.“ —

Sic multis annis ante de plerisque nostrae aetatis Protestantibus judicantem audivi *Mareſium*, Theologum non contemnendum, qui profecto non erat μισόλογος. Qui ſi adhuc eſſet in vivis, et ipſorum etiam librorum N. T. auctoritatem divinam a multis ſublatam videret; haud dubie, vel extrema ista laudis ſpecie denegata, multos nostrorum Protestantium, qui mysteria vere biblica, capita doctrinae christianae propria, prorſus rejiciunt, et tantum ea probant, quae *ſuae* rationi conſentanea habent, et (cum *Melanchthone*

loquor) „cetera *fabulosa* esse arbitrantur et *similia tragoediis poëtarum*,“ Christianorum nomine indignos multo majori jure praedicare sibi videretur. — Sique idem ille vir aliorum de religione christiana opiniones cognosceret, qui (si cum *Melanchthone* iterum loqui licet) „*proprias illuminationes sine verbo Dei et extra evangelium quaerunt*,“ et sua scilicet mysteria pro vere biblicis venditant, si libros legeret somniis, phantasiae fictionibus, commentis philosophiae absurdissimis fabulisque adeo blasphemis refertos, atque ab hominibus, summam Orthodoxiae et pietatis adversus *Dominum* laudem affectantibus, ita scriptos, ut ab auctoribus mente captis profecti videantur, summoque jure dubitare possis, num mens sana sit in corpore sano, utque mirum non esset, si juvenes, accedente etiam Babylonica linguarum confusione et obscuritate, quae in scholis pariter atque in libris dominatur, vel omnem mentis aciem, omnemque veri et falsi sensum amitterent, vel omnem religionem irriderent — tales igitur Protestantes si *Marsius* ille aeque apud animum sibi proponeret; judicio, quod de plerisque Protestantibus seculi nostri tulit, aliud quoque adderet, sententiamque plenam, credo, hanc enunciaret: „Die jetzigen Protestanten protestiren gewaltig — theils wider die Bibel, theils wider die gesunde Vernunft,“ — et Protestantes *antibiblicos utriusque generis*, Supernaturalistas quoque *irrationales*, *Enthusiastas* et *Fanaticos*, a Protestantibus iis, qui honorifico hoc nomine vere digni sunt, a *biblicis*, *Supernaturalistis rationalibus*, probe distingueret.

O tristissimam, inquis, *ecclesiae evangelicae conditionem! Quousque tandem pertinebunt hae turbae, quae religioni et ecclesiae evangelicae interitum minantur? Quem habebunt exitum?* —

Quanquam levitatem eorum, qui omnem istam discordiam sentiendique de religione diversitatem susque deque habent, et, quasi rem nullius momenti spectantes, consultius ducunt laetari ac ridere, quam dolere et plorare, minime probo; tamen animus meus non aegritudine eorum afficitur, qui verentur, ne conatus religionem vere christianam honorifice sepelire, solamque naturalem seu philosophicam stabilire, ac dominantem ubique propagare cupientium prosperum habeat successum. Nos cum piis Confessoribus credimus ac docemus, unam sanctam ecclesiam *perpetuo esse mansuram*. Et quanquam ecclesiae, quae, secundum Confessionem Augustanam, est *congregatio sanctorum* (vere credentium beneque facientium), *in qua evangelium recte docetur, et sacramenta recte administrantur, hac in vita multi hypocritae et mali admixti sunt;* tamen propter hanc admixtionem multorum, fidem christianam simulantium et male viventium, ecclesia vere evangelica non interibit, sed ad finem usque mundi manebit. Confessores illi pii non suadent, ut hypocritae et mali ex ecclesia ejiciantur, sed tolerandos eos censent, ipsos etiam doctores hypocritas, fidem christianam ore tantum gerentes, et orthodoxiae specie, quam prae se ferunt, alios fallentes, atque adeo *licere nobis* statuunt *sacramentis uti, quae per eos administrentur.* —

Utinam omnes, qui de controversiis theologicis, hoc potissimum anno acerrime agitatis, recte judicare, atque, ab omni cupiditate vacui, neutram in partem peccare velint, parabolam Jesu maxime memorabilem de *tritico genuino et adulterino* (Matth. XIII, 24 — 30.), tanquam divinam judicandi agendique normam ac regulam, constanter sequantur!

Dominus agri, quem Jesus bonum semen agro suo mandasse narrat, tritico genuino adulterinum admixtum esse *non negat*, sed inimici malitiâ id factum esse ait; servos, qui hanc admixtionem animadverterant, *non erroris accusat*, *nec* de tritico adulterino loqui eos *vetat*, quasi male vidissent, segetesque minus accurate contemplati triticum adulterinum genuino intermixtum se reperisse temere putent; damnum illatum se prorsus non curare, sed aequo animo ferre, *non dicit*, et segetes *omnino puras*, quae nihil tritici adulterini habeant, *optandas praeferendasque esse*, *non infitiatur: neque* etiam servorum orationem tritici adulterini *separationem optantium per se improbat;* sed eam *hactenus* tantum improbat, *quâ eorum eradicandi studium noxium sit et intempestivum.* Facile enim fieri possit (hoc servos perpendere jubet agri dominus),

ut eradicaturi triticum adulterinum ſimul eradicetis genuinum. Sinite *utrumque* (triticum et genuinum, et adulterinum), creſcere usque ad mesſem. Ego tolerabo triticum istud usque ad tempus mesſis; ad meum exemplum vos quoque tolerare debetis. Sejunctionem mesſis tempore futuram vos exſpectare volo. Sejunctionem ipſam curare, non vestrum, ſed meum est. — Quamdiu igitur eccleſia viſibilis in hac terra manet, tamdiu etiam, ut omni tempore, ut ab ipſius eccleſiae initio, triticum manebit, et genuinum, et adulterinum. In eccleſia demum in coelo triumphante, in apotheca divina, nil erit, niſi triticum genuinum.

„Haereticum hominem DEVITA" — i. e. Cave, ne tali homine familiariter utaris, neque a vero et recto aberrandi periculo temere te exponas. Ita quidem *Paulus* recte praecipit; non autem ſic: Haereticum hominem DE VITA i. e. e medio tolle, aut certe commodis terrenis priva viventem. — Aliud est, odisſe et eradicare *errores* (plantas a Patre coelesti non plantatas, Matth. XV, 13. i. e. ſuperſtitionem omnis generis, pravas et impias de religione opiniones); aliud autem, odisſe et eradicare *errantes* (triticum adulterinum, Matth. XIII, 29.). Illud fas est, ac doctoris christiani perſonâ longe dignisſimum officiumque ſanctisſimum; hoc autem nefas, atque a doctoris christiani dignitate alienisſimum facinusque turpisſimum ac detestandum in primis.

Si literarum theologicarum cultores academici aureum praeceptum ſequuntur — *Audiatur et altera pars — Legantur et alterius partis ſcripta* —, ſi *Supernaturalistarum* ſcholis et ſcriptis aeque dociles mentes afferunt, aurésque attentas praebent, ac *Rationalistarum*, qui dicuntur, ſi *omnia*, etiam a *Supernaturalistis* dicta et ſcripta, ſerio ac diligenter explorant, et bona retinent, *hanc, hanc curam diligentiamque ſi adhibent, hanc, hanc officii ſanctitatem ſi vere et conſtanter ſervant;* eccleſia evangelica ex *Rationalistarum* ſocietate tantum detrimenti, quantum nonnullis videtur, non capiet, imò potius pluribus de cauſis permultum percipiet commodi atque emolumenti.

Experientia nos docuit, nonnullos *Rationalistarum* rectius ſentire coepisſe, atque ad partes *Supernaturalistarum* accesſisſe, aliosque ab hac ſententiae mutatione et accesſione proxime abesſe. Nonne ſperare liceat, plures illorum vestigia esſe presſuros?

Amicus Socrates, amicus Plato; magis amica veritas. — Debemus, docente *Paulo*, (Eph. IV. 15.) *ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ* — *ἀληθεύειν primo loco* — *ἐν ἀγάπῃ* — *ſecundo loco.* — *Ὅσοι οὖν τέλειοι* (Phil. III. 15.), *τοῦτο φρονῶμεν· καὶ εἴ τι* ἙΤΕΡΩΣ *φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει.*

ARTICULI FIDEI PRAECIPUI.

* * *

De Confeſſione *invariata*, Imperatori exhibita, quam nunc reddimus, ejusque Articulorum numero nonnulla praedicere operae videtur eſſe pretium.

In comitiis Auguſtanis *Melanchthon duplicem* Confeſſionem elaboravit, *priorem*, paulo breviorem, et *poſteriorem*, paulo longiorem. Confeſſio *prior*, ante *Caroli* adventum elaborata, Electori tradita, ab hoc, die Mercurii post Dom. Jubilate, *Luthero* miſſa, atque, ab eo admodum laudata et omnino approbata, Dom. Cantate Electori remiſſa est; Confeſſio autem *poſterior*, h. e. post adventum Imperatoris usque ad diem XXII. Jun. elaborata, die XXV. Jun. *Carolo* exhibita est, cujus exemplum ἀπόγραφον postridie ejus diei, h. e. d. XXVI. Jun. a *Melanchthone Luthero* miſſum, ab hoc non minus approbatum eſſe, ipſius literae ſatis teſtantur. Vel inſcriptionem epiſtolae ad *Melanchthonem* miſſae afferre ſufficit, hanc: M. *Philippo Melanchthoni*, dem TREUEN BEKENNER *Christi*, *und* WAHRHAFTIGEN ZEUGEN, *ſeinem* LIEBSTEN *Bruder*, *Martin Luther*. Utraque habet duas partes. Utriusque pars *prior* continet Articulos fidei praecipuos; *poſterior* Articulos controverſos, ſeu de abuſibus mutatis. Confeſſionis *prioris* Articulus fidei *ultimus* est *de cauſa peccati;* Confeſſionis *poſterioris* Articulus fidei *ultimus* est *de cultu Sanctorum*, *cum additamento apologetico de ſide et bonis operibus*, post Articulum *de cauſa peccati* inſerto. Confeſſionis *prioris* Articuli controverſi ſeptem fuerunt quidem, ſi materiam et argumentum in univerſum ſpectes, iidem, qui ſunt in *poſteriore;* differunt tamen a *forma*, duo potiſſimum Articuli, *de votis monachorum*, et *de poteſtate eccleſiastica:* qua de mutatione *Melanchthon* ipſe ſcripſit his verbis: „Locum *de votis*, quia erat exilior justo, exemi, ſuppoſita alia disputatione *eadem de re* paulo uberiore. Nunc *de poteſtate clavium* etiam disputo." — Quid? quod etiam Prologum *priori* Confeſſioni deſtinatum mutandum cenſuit. „*Ego*, inquit, *exordium noſtrae Confeſſionis feci* aliquanto ῥητορικώτερον, *quam Coburgae ſcripſeram.*"

Elector, Saxo, die II Maji menſis Auguſtam pervenit; *Carolus*, Imperator, demum die XV Junii. Qui ſi die Mercurii post Dominicam Jubilate, aut Dominicâ Cantate Auguſtam perveniſſet, et paucis diebus post Protestantibus nostris Confeſſionis exhibendae potestatem feciſſet; haud dubie haberemus Confeſſionem illam *priorem*, paulo breviorem, certe maxima ex parte. Quod *posteriorem* habemus, paulo longiorem ac perpolitam, id morae *Caroli* debemus, qui Protestantes nostros diem, quo Confeſſio publice praelegi et tradi poſſet, ſatis diu exſpectare paſſus est, atque hac ſua mora effecit, ut *Melanchthonis* diligentia ac ſedulitas, quae male otiari non poterat, in Confeſſione illa *priore*, a *Luthero* valde laudata omninoque probata, nonnulla, imò permulta deſideraret, et non tantum per omnes reliquas Maji hebdomades, ſed etiam per omnes dies proximi menſis usque ad diem XXII. Junii, limando, contrahendo, amplificando, expungendo, reſtituendo, delendo, addendo, ordinando, exornando, quam optime fieri poſſet, emendandam illam putaret. Ipſe in epiſtola ad *Camerarium* de ſua emendandi cura narrat haec: „*Ego mutabam et refingebam pleraque quotidie.*" —

Paene nimia fuit haec optimi viri cura. Festinandum enim erat, ut, niſi latinum, germanicum certe Confeſſionis exemplum, quod publice praelegendum eſſet, et Imperatori tradendum, castum ac mundum, intra duos dies recte transſcriberetur, formisque literarum, lectionem non impedientibus, eleganter depingeretur. Haec de Confeſſione in univerſum, de *priore* ac *posteriore*, ſatis praedicta ſunto. Jam de *Articulorum*, quos continet *posterior*, *numero* videamus.

Vulgo quidem Confeſſio haec nostra Articulos XXVIII. continere dicitur; revera autem XXV. continet, cum *additamento apologetico*, quod vulgo pro *Articulo fidei vicesimo* habetur. *Posteriorem* Confeſſionis partem *ſeptem* habere Articulos, nemo negat, et a nemine negari potest; *priorem* vero non niſi *duodeviginti* complecti Articulos *fidei*, cum *additamento apologetico*, non quilibet ſtatim concedet, et, quo jure id ſtatuamus, ſatis perſpicue ostendere debemus.

Inſcriptio Articuli XX. vulgaris est: *De bonis operibus;* authentica autem, ab ipſo *Melanchthone* profecta, quae etiam in exemplis manuſcriptis, nominatim in codice Deſſavienſi, reperitur, ita habet: *De fide et bonis operibus.* Quod *ſeptem* Articuli partis *posterioris* authenticas habent inſcriptiones, id quidem non debet eſſe mirum: voluit enim *Melanchthon* hos, non ſolum alterum ab altero, ſed etiam ab Articulis *prioris* partis discernere et ſeparare. Quod autem in *priore* parte, ubi Articuli *fidei* indicibus argumenti ſuperſcriptis a *Melanchthone* inſigniti non ſunt, unus tamen, qui *viceſimus* putatur fidei Articulus, tali indice, tali inſcriptione inſignitus est, hoc ſane mirari potest is, qui additamentum apologeticum pro articulo fidei peculiari, ſuperioribus adnumerando, habet. Vere autem eſſe *additamentum apologeticum* Articulis fidei in Confeſſione *posteriore* inſertum, non peculiarem Articulum, non novum atque a ſuperioribus Articulis fidei diſtinctum, vel prima ejus verba aperte nos admonent: „*Falſo accuſantur nostri* cet." — Cum vero *Melanchthon* non hoc ſpectaret, ut novum fidei Articulum proponeret (nam de *juſtificatione per fidem* et *bonis fidei fructibus* ſeu *ope-*

ribus, quid sentiant nostri, jam supra duobus Articulis explicuerat), sed ut adversariorum calumnias repelleret, rumorumque de Lutheranis sparsorum vanitatem in clariore luce poneret; non temere, sed prudenter et consulto huic additamento inscriptionem addidit, ne quis hoc ipsum pro peculiari fidei Articulo haberet, sed ut quilibet lector, cum omnes Articulos fidei inscriptionibus et argumentorum indicibus carere videret, vel sic intelligeret, ipsum doctrinam de fide et bonis operibus paulo uberius explicare voluisse ad criminationes adversariorum rejiciendas et confutandas.

Si *Melanchthon* satis mature de necessitate hujus apologiae cogitasset, etiam eo tempore, quo Confessionem *priorem* scripsit; haud dubie hoc additamentum non alieno loco inseruisset, sed vel Articulo *de bonis fidei fructibus seu operibus* subjecisset, vel etiam Articuli *de poenitentia* verbis his: *Deinde sequi debent bona opera, quae sunt fructus poenitentiae.*

Praeter hoc additamentum *apologeticum* reperiuntur in *priore* parte *duo* additamenta *dogmatica*, quae vulgo pro *duobus* Articulis habentur. Articulus enim, qui vulgo dicitur *quintus*, et inscriptus est de *ministerio ecclesiastico*, revera est additamentum et quasi pars posterior Articuli *quarti* de justificatione per fidem: „*Ut hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi evangelii* cet." — Sic vero etiam Articulus, qui vulgo habetur *octavus*, et inscriptione ineptissima — *Quid sit ecclesia* — est instructus, additamentum haberi debet Articuli *septimi*, qui est *de ecclesia.* Si verba — *Quanquam ecclesia proprie sit congregatio sanctorum et vere credentium cet.* — peculiarem constituerent fidei Articulum; cum non *octavus*, sed *septimus*, exponat, *quid sit ecclesia*, inscriptio deberet esse haec: *De hypocritis et malis ecclesiae admixtis, horumque ministerio ecclesiastico.* Ejusmodi additamenta leguntur etiam in duobus aliis Articulis, de *poenitentia*, ac de *ritibus ecclesiasticis* et *traditionibus humanis*, quae vero non tanquam *duo Articuli fidei* spectantur, sed ab omnibus recte pro additamentis habentur.

Secundum nostram numerandi rationem, quae menti et consilio *Melanchthonis* plane consentanea videtur, Articuli *fidei* hoc modo sese excipiunt: I. *De Deo.* II. *De peccato originis.* III. *De Christo.* IV. (IV. V.) *De justificatione per fidem.* V. (VI.) *De bonis fidei fructibus seu operibus.* VI. (VII. VIII.) *De ecclesia.* VII. (IX.) *De baptismo.* VIII. (X.) *De coena Domini.* IX. (XI.) *De confessione.* X. (XII.) *De poenitentia.* XI. (XIII.) *De usu sacramentorum.* XII. (XIV.) *De ordine ecclesiastico.* XIII. (XV.) *De ritibus ecclesiasticis et traditionibus humanis.* XIV. (XVI.) *De rebus civilibus.* XV. (XVII.) *De Christi reditu ad judicium.* XVI. (XVIII.) *De libero arbitrio.* XVII. (XIX.) *De causa peccati.* (*De fide et bonis operibus. Additamentum Articulis fidei insertum, idque apologeticum*—). XVIII. (XXI.) *De cultu sanctorum.* — Jam adnumeremus *septem* Articulos controversos cum inscriptione *Melanchthoniana:* XIX. (I.) *De utraque specie.* XX. (II.) *De conjugio sacerdotum.* XXI. (III.) *De Missa.* XXII. (IV.) *De confessione.* XXIII. (V.) *De discrimine ciborum.* XXIV. (VI.) *De votis monachorum.* XXV. (VII.) *De potestate ecclesiastica.* — Sic igitur Confessio nostra *posterior* constat duo

deviginti Articulis *fidei*, et *ſeptem* Articulis *controverſis*, ac proinde univerſe *viginti quinque* Articulis, cum uno additamento, aut, ſi placet, Articulo *apologetico*, Articulis fidei inferto.

Melanchthon in Confeſſionis exemplo, ſua ipſius manu ſcripto, neque ſingulos Articulos (exceptis *ſeptem* Articulis *posterioris* partis, et *uno* illo additamento apologetico *prioris*) indice argumenti ſeu inſcriptione inſtruxit, neque ſingulis Articulis, et prioris, et posterioris partis, numerum, vel Romanum, vel Arabicum, appoſuit. Sine addito numero omnes ac ſingulos ſcripſit, ita tamen, ut Articulus alius ab alio a legentibus facile dignoſci, eorumque numerus facile iniri poſſet. Quemadmodum enim Verbum *damnandi*, quod in primis verſibus *Antitheſium* reperitur, *ſignum Antitheſeos* eſſe voluit, quo lectores ipſi, nemine admonente, ſponte ſua et ſine ulla difficultate *Antitheſin* agnoſcerent: ita Verbum *docendi*, quod in primis verſibus *Theſium* conſtanter uſurpatum cernimus, characterem ante oculos legentium conſtituit, quo facile, ſine errandi periculo, non tantum *Theſin* ab *Antitheſi*, verum etiam Articulum *fidei* alium ab alio ſejungere ac diſtinguere, eorumque numerum nullo magnopere negotio reperire poſſent. *Melanchthoni* non tam numerus Articulorum curae cordique fuit, quam eorum gravitas et veritas, verborumque ſenſus. Quoties igitur legimus illud *damnandi* Verbum: toties legimus *Antitheſin*. Quoties legimus *docendi* Verbum: toties legimus *Theſin* ſeu *Articulum fidei*. — *Damnandi* Verbum in primo verſu legimus *decies* — *Damnant* omnes haereſes contra hunc Articulum exortas — *Damnant* — *Damnant* — cet.: ſunt igitur *decem Antitheſes*. *Docendi* Verbum in primo verſu legimus *duodevicies* — Eccleſiae magno conſenſu apud nos *docent* — Item *docent* — Item *docent* — cet.: ſunt igitur *duodeviginti Theſes* ſeu *Articuli fidei*. Recte ſumere mihi videor, *Melanchthonem* non ſolum *omnes* Articulos, etiam *prioris* partis, uno tenore, continenti ſcriptura, exhibuiſſe, *praeter duos*, de justificatione per fidem, et de eccleſia. Uterque habet, uti vidimus, additamentum *dogmaticum*. Utrumque additamentum error immutavit in duos Articulos fidei. Quaenam vero fuit errandi occaſio? Quid errori locum dedit? Scilicet *Melanchthon* utrumque additamentum, quaſi posteriorem Articuli partem, aliquo ſpatii, vel majoris, vel minoris, intervallo relicto, a ſcriptura ſuperiore, eaque continenti, ſeparavit, quo facilius lectores hoc ipſum additamentum tanquam alteram Articuli partem ſpectarent. Sed fuerunt, nominatim auctores Reſponſionis pontificiae, atque etiam quidam codicum ſcribae, qui illud *Melanchthonis* conſilium non intelligerent, et vacuum, quod viderent, ſpatium novi et peculiaris Articuli ſignum eſſe crederent, quanquam non ſolum abſentia Antitheſeos, ſed etiam, ac multo quidem magis formulae ſolennis conſtantia ac perpetuus uſus Verbi *docent*, quod in utroque illo additamento non reperitur, facile eos docere potuiſſet, utrumque illud additamentum Articuli quaſi partem alteram eſſe, non Articulum novum ac peculiarem.

In exemplo germanico Moguntino, quod *G. G. Weberus* accuratiſſime reddidit (Krit. Geſchichte der A. C. P. I.), additamentum Articuli quarti ſcriba codicis, cum vacuum ſpatii intervallum inter priorem et posteriorem Articuli partem relictum videret, et ipſe tale intervallum reliquit, et verbis — Solchen Glauben zu erlangen hat Gott das Predigtamt eingeſetzt — ex ingenio ſuo numerum Arabicum ad latus dextrum appoſuit, eaque pro primo

versu Articuli *quinti* haberi voluit. In exemplo latino, quod ego ipse e codice Dessaviensi accuratissime reddidi, nullum spatii intervallum relictum est, sed utraque Articuli quarti pars uno tenore legitur, continenti scriptura, neque verbis — *Ut hanc fidem consequamur* — numerus Arabicus ad latus dextrum est appositus. Scriba exempli *Spalatini* propter vacuum spatii intervallum, quod in codice, e quo suum transscripsit, relictum videret, additamentum Articuli *quarti* et ipse pro Articulo *quinto* habuit. Cum autem characterem *Melanchthonis* — Es wird gelehret — Weiter wird gelehret —, quo singuli Articuli fidei agnoscendi sint, hoc loco desideraret; ex ingenio suo eum addere, hisque verbis exprimere non dubitavit: Weiter wird in unsern Kirchen gelehrt und geprebigt, daß, solchen Glauben zu erlangen, Gott das Predigtamt eingesetzt u. s. w.

Similis est ratio additamenti, quod habet Articulus *De ecclesia*. In exemplo illo Moguntino, quanquam perexiguum spatii intervallum cernitur, tamen scriba, additamentum illud Articulum novum et peculiarem esse opinatus, verbis — Item, wiewohl die christliche Kirche eigentlich nichts anders ist — ad marginem dextrum Arabicum numerum 8 adjecit. Scribae errorem confirmasse videtur praemissa particula *Item:* Articulis enim primum sequentibus praemissae erant hae formulae: Weiter wird bey uns gelehrt — Item, es wird gelehrt — Weiter wird gelehrt — Auch wird gelehrt — Es wird auch gelehrt — Quas quidem formulas cum memoria teneret ille scriba; facile fieri potuit, ut, cum etiam aliquod certe spatium, quamvis exiguum, vacuum videret, τὸ *Item* pro signo novi Articuli haberet, verba — es wird gelehret — subaudienda putaret, et numerum Arabicum 8 ad marginem dextrum scribere non dubitaret, non cogitans, τὸ *Item* a *Melanchthone* sexcenties etiam in media oratione, in scriptura continenti usurpari sic, ut nihil aliud sit, quam *Deinde*, *Porro*, cujus generis exemplum in Articulo *tertio* habemus. Ibi enim leguntur haec: — gestorben und begraben, daß er ein Opfer wäre, nicht allein für die Erbsünde, sondern auch für alle andern Sünden, und Gottes Zorn versöhnte.

Item daß derselbige Christus sey abgestiegen zur Hölle u. s. w. — *mortuus et sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, et hostia esset, non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis. Idem* (*Item*) *descendit ad inferos cet.* Num, quaeso, propter illud *Item* verba, quae hanc particulam sequuntur, non pro additamento Articuli *tertii*, sed pro Articulo novo ac peculiari, pro *quarto* habenda sunt?

Eodem errore laboravit scriba codicis *Spalatini*, qui adeo non dubitavit, verba, quae ille subaudienda legentibus reliquit, ex suo ingenio exprimere, haec: Ferner wird in unsern Kirchen gelehrt und geprebigt. — In codice Dessaviensi Articulus *De ecclesia* cum additamento suo uno tenore legitur et scriptura continenti; sed nihilo tamen minus scriba, quanquam neque antecedentes, neque consequentes Articulos numeravit, tamen huic *uni* Articulo *De ecclesia* numeros Arabicos male quidem et inepte apposuit, numerum 7. ad marginem sinistrum, et numerum 8. ad marginem dextrum.

Stat igitur sententia. Secundum veram numerandi rationem *prior* Confessionis pars tantum *duodeviginti Articulos fidei* continet, cum *uno additamento*, aut, si placet, *Articulo apologetico*, Articulis fidei inserto.

„*At*, inquis, *quamvis probabilis videatur tua numerandi ratio; tamen nescio, an vera sit ducenda. Nonne enim ipse Melanchthon in editione principe utraque, et germanica, et latina, Articulos fidei viginti et unum numeravit, vulgaremque numerandi rationem, quae etiam in exemplo Moguntino reperitur, (ubi adeo Articulo primo Partis posterioris numerus Arabicus 22. ad marginem sinistrum adscriptus est, ut mirandum non sit, in libro Concordiae etiam sex reliquis Articulis numeros esse adscriptos), sua ipsius auctoritate approbavit? In exemplo germanico XXI. Articulos fidei numeravit usu verborum numerum significantium; in latino usu signorum Romanorum. Etiam in Apologia numerandi rationem vulgo receptam sua auctoritate comprobat. Quanquam facile tibi largior, in utroque exemplo Imperatori tradito nullum fidei Articulum, ne unum quidem, indice argumenti superne posito instructum fuisse; tamen de numeris ob causas allatas dubito.*“ —

Sed evanescet, spero, haec dubitatio, modo perpendere velis, *architectos Responsionis pontificiae* seu Confutationis, quae dicitur, XXI. *Articulos fidei* numerasse, non *Melanchthonem*. Hic sapienter secutus quidem est falsam illam numerandi rationem (putida enim fuisset ac puerilis *Melanchthonis* diligentia, si cum adversariis ea de causa rixari voluisset, quod *duo* additamenta *dogmatica* et *unum apologeticum pro tribus Articulis fidei* habuissent), h. e. toleravit eam et retinuit, recte secum cogitans: *In numero Articulorum simus faciles; modo conveniamus in eorum sensu hujusque approbatione.* Quanquam igitur *Melanchthon* in Apologia Pontificiorum Articulos fidei numerantium vestigia pressit, eorumque responsionem ad XXI. Articulos in causa sua defendenda ante oculos habuit, et ipse de Articulis *viginti* et *uno* locutus est, quae fuit honesta ipsius accommodatio; tamen inde colligere non licet, ipsum illam numerandi rationem rectam habuisse et tanquam suam probasse, aut in utroque exemplo Imperatori exhibito singulis fidei Articulis suum vel superscriptum vel adscriptum fuisse numerum. — Lenitas *Melanchthonis* similiter cessit Pontificiis in *numero* sacramentorum. „*Sed hic* (ita Apol.) *jubent nos etiam septem sacramenta numerare. Nos sentimus, praestandum esse, ne negligantur res et ceremoniae in Scripturis institutae, quotcunque sunt, nec multum referre putamus, etiamsi docendi causa alii numerant aliter, si tamen recte conservent res in Scriptura traditas.*“ — Eodem modo non multum referre putavit, etiamsi architecti Confutationis cum scribis et aliis errantibus XXI. Articulos *fidei* numeraverant, modo recte conservarent res in Articulis traditas.

Si quis *Weberi* historiam criticam Augustanae Confessionis ea attentione, quam hic liber classicus meretur, omnino omnem perlegerit, is facillime (spero equidem) de sententiae nostrae veritate sibi persuadebit. Ibi enim inter alios locos, qui sententiae nostrae favent, leguntur hi: „Die Artikel sind anfänglich blos durch Sectionen abgetheilt gewesen; eine spätere Hand aber hat arabische Ziffern hinzugefügt, und zwar nicht zur Seite, sondern über die Abschnitte.“ — „Die Uiberschrift: Der I. Artikel — von der keine alte Handschrift, die die Artikel entweder gar nicht, oder blos durch Seitenzahlen bezeichnen, etwas weiß u. s. w.“ — „Die Witterberger 67ger Ausgabe (loquitur de exemplo germanico) ist die erste, so die Uiberschriften der Artikel mit römischen Zahlen hat, wie sie im Corpore Brandenburgico und Concordienbuche vorkommen, Mit dem 2ten hören die Uiberschriften mit römischen Zahlen in der Wittenb. Ausgabe auf; sie sind aber im Corpore Brandenburgico und Concordienbuche bis zum 28ten fortgeführt worden.“ —

His paucis praemissis, offerimus nunc lectoribus exemplum Confessionis latinae invariatae, tale quidem (si inscriptionum, argumentorum superne indicatorum, atque numerorum ratio habeatur), quale Imperatori traditum fuisse, non temere opinamur, h. e. sine numeris, sine inscriptionibus Articulorum singulorum et argumentorum indicibus, ita tamen, ut unusquisque sponte sua, facillimo negotio, inscriptiones singulorum Articulorum et argumentorum indices reperire, eorumque numerum colligere possit.

Ecclesiae magno consensu apud nos DOCENT, decretum Nicaenae synodi de *unitate essentiae divinae et de tribus personis* verum, et sine ulla dubitatione credendum esse: videlicet, quod sit una essentia divina, quae et appellatur et est Deus*), aeternus, incorporeus, impartibilis, immensâ potentiâ, sapientiâ, bonitate, creator et conservator omnium rerum, visibilium et invisibilium, et tamen tres sint personae, ejusdem essentiae et potentiae, et coaeternae, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Et nomine *personae* utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa scriptores ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed *quod proprie subsistit.*

DAMNANT omnes haereses contra hunc articulum exortas**), ut *Manichaeos*, qui duo principia ponebant, bonum et malum; item *Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas*, et omnes horum similes. Damnant et *Samosatenos*, veteres et neotericos, qui, cum tantum unam personam esse contendant, de *Verbo* et de *Spiritu sancto* astute et impie rhetoricantur, *quae* (quod) non sint personae distinctae, sed quod *Verbum* significet verbum vocale, et *Spiritus* motum in rebus creatum.

*) *Essentia* seu *natura divina* non recte appellatur *Deus*: nam *Dei* nomen *substantiae* notionem exprimit, non *essentiae*. *Essentia divina, natura divina, divinitas, θειότης*, recte quidem Deo attribuitur, quippe quam *Deus* h. e. *substantia* divina habet; sed dicere recte non licet, *Deum esse essentiam divinam*, complexum attributorum divinorum. Quemadmodum *homo* (substantia) est homo, qui naturam humanam habet, non *humanitas*, non *humana natura*: ita *Deus* (substantia) est Deus, qui naturam divinam habet, non *essentia* seu *natura divina*. Notionem alteram cum altera confundere non licet. Alia est *οὐσία*, *essentia*, alia *ὑπόστασις, substantia*. Verbum ὁμοούσιος male vertitur *consubstantialis*, pro: *coëssentialis*. —

**) Cfr. Apologia Art. I. „*Constanter affirmamus, aliter sentientes extra ecclesiam Christi et idololatras esse, et Deum contumelia afficere.*" —

Item DOCENT, *quod post lapsum Adae omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato*, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, et cum concupiscentia,

quodque hic morbus ſeu vitium originis vere ſit peccatum, damnans, et afferens nunc quoque aeternam mortem his, qui non renaſcuntur per baptismum et Spiritum ſanctum*).

DAMNANT *Pelagianos*, et alios, qui vitium originis negant eſse peccatum, et, ut extenuent gloriam meriti et beneficiorum Christi, disputant, hominem propriis viribus rationis coram Deo justificari poſse.

*) Num igitur omnes etiam ii, qui religionis christianae luce *ſine ſua ipſorum culpa* carent, ideoque ſacro lavacro initiari non posſunt, damnandi ſunt? Num etiam infantes, qui ἀβάπτιστοι moriuntur? Ergone diſtinctio praeſidiorum ſalutis, ſeu *mediorum gratiae*, quae vulgo dicuutur, *ſufficientium* et *abundantium*, locum non habet? Ergone *Paulus* 1 Tim. IV, 10. non recte docuit, *Deum esſe ſervatorem* OMNIUM *hominum, maxime vero*, praecipue, *ΜΑΛΙΣΤΑ ΠΙΣΤΩΝ, christianorum?*

Item DOCENT, *quod Verbum, hoc est, Filius Dei asſumſerit humanam naturam in utero beatae Mariae virginis*, ut ſint duae naturae, divina et humana, in unitate perſonae inſeparabiliter conjunctae, unus Christus, vere Deus et vere homo, natus ex virgine *Maria*, vere pasſus, crucifixus, mortuus, et *ſepultus*, ut reconciliaret nobis Patrem, et hostia esſet, non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. *Idem* (Item) *deſcendit ad inferos*, et vere reſurrexit tertia die, deinde adſcendit ad coelos, ut ſedeat ad dextram Patris, et perpetuo regnet et dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum Spiritu ſancto, qui regat, conſoletur ac vivificet eos, ac defendat adverſus diabolum et vim peccati. Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos et mortuos, cet. juxta ſymbolum Apoſtolorum.

Item DOCENT, *quod homines non posſint, justificari coram Deo propriis viribus, meritis, aut operibus, ſed gratis justificentur propter Christum per fidem*, cum credunt, ſe in gratiam recipi, et peccata remitti propter Christum, *qui* (quia) ſua morte pro nostris peccatis ſatisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipſo. Rom. III et IV.

Ut hanc fidem conſequamur, inſtitutum est ministerium docendi evangelii, et porrigendi ſacramenta. Nam per verbum et ſacramenta, tanquam per inſtrumenta, donatur Spiritus ſanctus, qui fidem efficit, *ubi et quando viſum est Deo, in iis, qui audiunt evangelium**), ſcilicet, quod Deus non propter merita, ſed propter Christum justificet hos, qui credunt, ſe propter Christum in gratiam recipi.

DAMNANT *Anabaptistas*, et alios, qui ſentiunt, Spiritum ſanctum contingere *ſine verbo externo* hominibus per ipſorum praeparationes et opera.

*) Ergone Deo non ubique et ſemper placet fidem efficere in iis, qui evangelium audiunt, et fidem habere volunt? Nonne in univerſa hominum mutatione in melius et Dei et hominum discernendae ſunt partes? Voluntatis humanae nulla habenda est ratio? — Aliter ſenſit hac certe in re *Melanchthon posterior*, h. e. intelligentior purioris doctrinae profesſor.

Item DOCENT, *quod fides illa debeat bonos fructus parere, et quod oporteat bona opera, mandata a Deo, facere*, propter voluntatem Dei, non, ut confidamus, per ea opera justificationem coram Deo mereri. Nam remisſio peccatorum et justificatio fide apprehenditur, ſicut testatur vox Christi: *Cum feceritis haec omnia, dicite: Servi inutiles*) ſumus.* Idem docent et veteres ſcriptores eccleſiastici. *Ambroſius* enim inquit: *Hoc conſtitutum est a Deo, ut, qui credit in Christum, ſalvus ſit, ſine opere, ſola fide**), gratis accipiens remiſſionem peccatorum.*

*) Fabricatores Confutationis: „*Neque*, inquiunt, *ſuffragatur Principibus verbum Christi* Luc. XVII. *Non ergo haec vox Chrsiti praefert fidem ſine operibus, ſed docet, quod opera nostra nihil utilitatis afferunt Deo, quod operibus nostris non debemus justificari, quia opera nostra, comparata divinis praemiis, nulla ſunt et nihil.*" — Voluerunt haud dubie hoc dicere: Nobis non licet, Phariſaeorum more, *δικαιούντων ἑαυτούς*, (Luc. XVI, 15.) nosmet ipſos justificare, ſuperbire, gloriari. Justificamur quidem propter nostra bona opera *a Deo*, ut antea diximus, ſtatuentes, justificationem pertinere ad gratiam et caritatem (cfr. P. II, 3.); ſed *nosmet* ipſi non debemus *nos* justificare propter bona opera, quippe quae, comparata praemiis divinis, nulla ſunt. — Haec Theologorum pontificiorum ſententia, aliqua ſane, non autem omni ex parte vera est. Videamus paulo diligentius de nobilisſima illa Jeſu parabola.

Servi domino vere inutiles ne *idonei* quidem ſunt ad praemium, nedum eo *digni*. Servus, qui, agrum aratro vertere, aut gregem vel armenta paſcere jusſus, domini jusſo ſatisfacit, et domum, opere diurno utiliter peracto, reverſus, domino ſuo, ipſo id postulante, quamvis defatigatus, coenam apparat ac ministrat, hic talis ſervus profecto non est *inutilis*, imò *utilisſimus* dici potest, ac debet. Quanquam vero hic ſervus perutilis fuit; tamen dominus eum non *juste* et *benigne* ſimul, ſed tantum *juste* tractat, hoc est, non ei *mercedem* et *praemium* ſimul dat, ſed tantummodo *mercedem*, hoc est, *victum*, quem ſervus ille merebatur, cibum et potum: *opera enim victu ſuo dignus* est. (Matth. X, 10.) — *μετὰ ταῦτα φάγεσαι καὶ πίεσαι σύ* — Non dicit: *Λάβε καὶ δηνάριον ὡς τιμήν. Accipe ſimul denarium praemii loco.* — *Μὴ χάριν ἔχει τῷ δούλῳ ἐκείνῳ, ὅτι ἐποίησε τὰ διαταχθέντα; Οὐ δοκῶ. Num illi gratiam habet, quia jusſa exſecutus est?* Num operationem illius diurnam et vespertinam tanquam beneficium ſpectat, quod pro arbitrio ſuo vel exhibere ille, vel non exhibere potuisſet? *Non puto;* imò ſervum officio ſuo ſatisfeciſſe judicat, approbat ejus virtutem, eique mercedem debitam dat, cibum et potum.

Quomodo vero ſervus ſe gerit adverſus dominum? Num mercede ſua, quam a domino justo accipit, contentus est, an etiam *praemium* inſuper exſpèctat, vel obmurmurans adeo flagitat? Etſi *Lucas* parabolam Jeſu non plene, ſed praeciſe narrat; tamen ex verbis ſequentibus — *Οὕτω ΚΑΙ ὑμεῖς* — *Ita etiam vos* — colligere licet, ſubaudiendam eſſe aliam quaestionem Jeſu, qua deſcribatur probitas illius ſervi, ac ſentiendi loquendique ratio, diſcipulis imitanda. Subaudiamus igitur hanc quaestionem: *Ὁ δὲ δοῦλος μὴ γογγύζων κατὰ τοῦ κυρίου ἐρεῖ· Δός μοι δηνάριον ὡς τιμήν; Οὐ δοκῶ.* — *Servus vero ille num obmurmurans contra dominum dicit: Da mihi denarium praemii loco? Non puto.* Sic parabola Jeſu bene cohaeret cum verbis ſequentibus, hoc modo: Quanquam ille ſervus, voluntatem domini omnino exſecutus, probe ſcit, ſe non eſſe ſervum *inutilem*, et *mercede*, victu, *non indignum*; tamen a domino, cujus justitiam agnoſcit, cujusque approbatione contentus est, *praemium* virtutis ſuae neque exſpectat, neque postulat, ſed hactenus, quâ praemii cogitatio habetur, ſe potius tanquam ſervum *inutilem* gerit, h. e. praemio *indignum*. Nunc Jeſus ita pergit: *Quemadmodum ſervus ille, quamvis utilis, ſe tanquam inutilem* h. e. *praemio indignum, ſpectat: οὕτω ΚΑΙ ὑμεῖς — ita etiam vos* ſcil. ſentite. *Cum omnia feceritis, quae vos facere jusſi estis*, ideoque ſervi utiles fueritis, *dicite: Servi ſumus quaſi inutiles*, h. e. praemiis indigni: *fecimus enim, quae facere debebamus*, ſatisfecimus officio nostro. — Quae cum ita ſint; verisſima

est doctrina nostra ſymbolica de virtute et humana et christiana. Fingamus, virtutem nostram eſſe perfectam omnibusque numeris et partibus expletam. Quid exſpectare jure meritoque a Deo justo poſſimus? *Praemia* virtutis? Nullo pacto; nil, niſi *mercedem*, hoc est, divinam virtutis nostrae perfectae approbationem. Hanc ſane Deus justus homini perfecto debet: plus enim pro ſua justitia postulare non potest. Cum autem ne perfecta quidem virtus *praemia mereatur;* quanto magis imperfecta *indigna* est cenſenda *praemiis?* Quod Deus virtutem veram quidem et ſinceram, at imperfectam, propter Christum approbare vult, eique adeo praemia promiſit, id non ab ipſius justitia, ſed a ſumma benignitate profectum est, nec niſi hactenus praemia a justitia Dei repeti poſſunt, quâ Deus *justus* idem quoque est *verax*, ac proinde virtutem nostram praemiis *benigne* promisſis non ornare non potest. Sic tantum loqui licet de *justitia Dei remunerativa.* Sic demum nulla est contradictiò in adjecto. Ceterum tenendum est, *mercedem et praemium*, Lohn und Belohnung — has notiones diverſas a permultis non ſatis accurate discerni, et in N. T. nomen μισθός aliis in locis de *mercede*, in aliis autem de *praemio* uſurpari.

**) *Lutherus:* „Die Papiſten ſpotten unſrer, und nennen uns Solarios oder Solanos, weil wir die Gerechtigkeit allein dem Glauben zuſchreiben." Nos veniam peccatorum nostrorum propter nulla opera, neque propter antecedentia, neque propter conſequentia a Deo accipere, ſed gratis propter Christum per SOLAM *fidem justificantem*, haec doctrina est et manet verisſima, et in eccleſia in primis exſtare, recte explicari, firmisſimeque teneri debet, neque ejus veritas addubitari aut negari potest, niſi ab iis, qui eam non intelligunt, vel intelligere nolunt.

Item DOCENT *quod una ſancta eccleſia perpetuo manſura ſit.* Est autem eccleſia congregatio ſanctorum, in qua evangelium recte docetur, et recte administrantur ſacramenta. Et ad veram unitatem eccleſiae ſatis est conſentire de doctrina evangelii et administratione ſacramentorum, nec neceſſe est, ubique eſſe ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus, aut ceremonias, ab hominibus inſtitutas; ſicut inquit *Paulus: Una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium* cet.

Quanquam eccleſia proprie ſit congregatio ſanctorum et vere credentium; tamen, cum in hac vita multi hypocritae et mali admixti ſint, licet uti ſacramentis, quae per malos administrantur, juxta vocem Christi: *Sedent ſcribae et Phariſaei in cathedra Moſis* cet. Et ſacramenta et verbum propter ordinationem et mandatum Christi ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur*).

DAMNANT *Donatistas*, et ſimiles, qui negabant, licere uti ministerio malorum in eccleſia, et ſentiebant, ministerium malorum inutile et inefficax eſſe.

*) Continet hic Articulus discrimen eccleſiae *inviſibilis* et *viſibilis.* In illa ſunt vere credentes et ſancti, nec tantum evangelium recte docetur, recteque administrantur ſacramenta, ſed etiam vita vivitur evangelio digna; in *hac* autem (viſibili) ſunt etiam hypocritae et mali hominibus vere christianis et ſanctis admixti, et, quanquam etiam ab hypocritis et malis evangelium recte doceri potest, recteque ſacramenta administrari poſſunt, tamen non ab omnibus hujus eccleſiae membris vivitur vita evangelio digna, ſed ab hypocritis et malis vita evangelio indigna. Sincerus religionis christianae profesſor ac doctor cum *Paulo: Credo,* inquit, *quapropter loquor.* Non ita hypocrita, quippe qui *loquitur, quanquam non credit.* —

De baptismo DOCENT, quod ſit neceſſarius ad ſalutem, quodque per baptismum offeratur gratia Dei, et quod pueri ſint baptizandi, qui, per baptismum oblati Deo, recipiantur in gratiam Dei.

DAMNANT ***Anabaptistas*, qui improbant baptismum puerorum, et affirmant, pueros ſine baptismo ſalvos fieri*).**

*) Damnantur h. l. Anabaptistae, non ſolum quia baptismum puerorum improbant, ſed etiam, quod pueros ſine baptismo ſalvos fieri affirmant. In exemplo germanico *prior* tantum damnationis cauſa legitur — **derohalben werden die Wiedertäufer verworfen, welche lehren, daß die Kindertaufe nicht recht ſey** —; *posterior* autem ex Articulo de peccato originis legentibus ſubaudienda relinquitur — **daß die Erbſünde verdamme alle die unterm ewigen Gottes-Zorn, ſo nicht durch die Taufe und heiligen Geiſt wiederum neu geboren werden.** — In latino *Melanchthon* utramque cauſam poſuit. Existimandum enim non est, opinionem Anabaptistarum non hactenus damnari, quâ infantes ſine baptismo ſalvos fieri affirment, ſed ideo tantum, quod, dum hoc affirment, puerorum baptismum pro minus necesſario habeant, atque adeo reprehendant. Cfr. Confeſsio *variata* a nobis reddita p. 11. 12.

Melanchthonem revera atque ex animi ſententia Anabaptistas eo etiam nomine damnasſe, quod pueros ſine baptismo ſalvos fieri posſe affirmarent, et revera atque ex animi ſententia docuisſe, pueros, qui ſine ſua culpa ἀβάπτιςοι moriantur, ſalvos fieri non posſe, non modo ex Articulo *ſecundo* recte colligitur, ubi in *univerſum et ſine ulla exceptione* loquitur, et peccatum originis mortem aeternam afferre dicit *his, qui non renaſcantur per baptismum et Spiritum ſanctum* (ergo non de adultis ſolis ſermo est, ſed de omnibus, etiam de pueris) —, verum etiam ex Apologia et Locis ſatis ſuperque elucet.

In Apologia haec legimus: „Certisſimum est, quod promisſio ſalutis pertinet etiam ad parvulos. *Neque vero pertinet ad illos, qui ſunt extra eccleſiam Christi.*“ — His verbis M. non tantum Judaeos, Mahummedanos, profanos, *eorumque pueros* damnat, ſed etiam *pueros* christianorum hominum, ſacramento privatos, quippe quos ne verbo quidem excepit.

In Locis a. 1535. reperiuntur haec: „Mea ratio haec est: Certum est, regnum Dei et promisſionem evangelii ad pueros pertinere. *Non est autem extra eccleſiam ſalus, ubi nec verbum, nec ſacramentum est. Ergo pueri inferendi ſunt eccleſiae, et adhibendum est ſignum, quod testatur, ad eos pertinere promisſionem.*“ (Quanquam igitur pueri parentibus christianis nati ſunt; tamen non tanquam membra eccleſiae christianae ſpectari posſunt, ſed ſunt extra eccleſiam, et pro pueris quaſi profanorum damnandis haberi debent. — Unde, olim certe, ſaepenumero audita est de puero in aedibus ſacris baptizando haec obſtetricum vox: **Einen Heiden tragen wir aus, einen Chriſten bringen wir wieder.** — „Nobis certum est, *in eccleſia* ſalutem esſe; *adverſarii vero ostendere non posſunt, extra eccleſiam esſe.* — — Haec omnia testantur, hos, qui ad eccleſiam pertinent, ſigno etiam aliquo externo eccleſiae inſertos esſe. Testatur idem locus in Geneſi de circumciſione: *Maſculus, cujus praeputii caro non fuerit circumciſa, delebitur anima illa de populo, quia pactum meum irritum facit.* Hic clare pronunciat, *eum, qui ſignum non habet, rejici a Deo.* Fuit autem et circumciſio ſignum eccleſiae Dei, ſicut nunc baptismus. — *Sequitur concluſio, pueros* (omnes, etiam christianis hominibus natos) *baptizandos esſe, ut, accepto ſigno, fiant* (antea igitur non erant) *membra eccleſiae, et Deus promiſsionem ſuam eis impertiat.*“ — —

„Si infantibus tunc opus fuit ſigno, ut inſererentur eccleſiae; ergo nunc quoque ſigno opus est: nam utrumque ſignum ſignificat promisſionem gratiae.“ — „Si haec reſponſio non ſatisfacit adverſariis; interrogemus et ipſos viciſsim, qua auctoritate ipſi improbent univerſalem conſenſum eccleſiae, et *utrum ſentiant, pueros extra eccleſiam* ſalvos fore.“ —

Ex omnibus his locis maxime perſpicuum est, *Melanchthonem* non curare ſententiam illam veriſsimam, *non privationem ſacramenti, ſed contemtum damnare,* ſed ita potius argumentari: *Extra eccleſiam christianam nulla est ſalus. Nemo ſalutem percipere potest, niſi is, qui in eccleſia est. Pueri, ſacro nondum*

initiati lavacro, in ecclesia non sunt. Si igitur ἀβάπτιςοι moriuntur, salutis participes fieri non possunt.

Recentiores Theologi recte distinxerunt auxilia salutis (*media*, quae vocantur) *sufficientia et abundantia*, et virtutem salutemque *humanam et christianam*. Si *Melanchthon* hoc tantum docuisset, *virtutem et salutem christianam* locum non habere, nisi in *ecclesia christiana*; ipsius sententia nihil prorsus offensionis haberet, sed rationi rectae pariter atque Scripturae plane esset consentanea. Etsi enim, ratione admonente et Scripturâ docente, Deus est σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, omnibusque dat praesidia salutis *sufficientia*; tamen non omnibus dat *abundantia*, estque σωτὴρ ΜΑΛΙΣΤΑ ΠΙΣΤΩΝ. 1 Tim. IV, 10.

Vid. Opp. Luth. ed. Hal. Tom. XVII, 737., ubi *Melanchthon* haec scripsisse legitur: „Derowegen werden wir alle geboren von Natur Kinder des Zorns, also, daß auch die jungen Kinder, welche, ehe sie durch die Taufe wiedergeboren, verscheiden, nicht gefreyet sind von der Verdammniß, dadurch sie beraubt werden des göttlichen Anschauens und Lichts." — Ita scripsit M. *prior*, patronus istius decreti, a quo nos vehementer abhorremus, quippe quod cum sanctitate, justitia ac benignitate Dei nulla ratione conciliari potest. Cum vero ipse *Lutherus*, opinionum praejudicatarum paulo tenacior, opinionem istam de salute pueris non baptizatis abjudicanda, ex aliqua certe parte, tandem missam fecerit, atque etiam de salute gentilium, qui vocantur, *non omnino* desperaverit; num facile est ad credendum, *Melanchthonem posteriorem Luthero posteriore* hac in re mansisse inferiorem?

A. 1542. *Lutherus* (vid. T. X, 870. seqq.) hanc sententiam proposuit: „Wer will zweifeln, daß die Kinder Israel, so vor dem achten Tage unbeschnitten gestorben, durch ihrer Eltern Gebet auf die Verheißung, daß er ihr Gott hat seyn wollen, selig worden sind? (Ergo liberi tantum priorum parentum propter eorum preces, non autem liberi impiorum?) Auch spricht man: Gott hat sich an seine Sacramente nicht also gebunden (aber durch sein Wort hat er sich mit uns verbunden), daß er ohne dieselben, auch auf eine andre Weise, uns unbekannt, die ungetauften Kinder nicht könne selig machen. — Also halte und hoffe ich, daß der gütige, barmherzige Gott etwas Gutes denke auch über diese Kindlein, so ohne ihre Schuld und Verachtung seines öffentlichen Befehls die Taufe nicht erlangen; doch daß er um der Welt Bosheit willen nicht will, noch gewollt hat, daß solches öffentlich hat sollen gepredigt oder geglaubet werden, auf daß nicht alles, so er ordnet und gebeut, von ihr verachtet würde. — Darum sollen wir mit Christenleuten anders und tröstlicher reden, denn mit den Heiden, oder, welches gleich viel ist, mit ruchlosen Leuten, auch in den Fällen, da wir seine heimlichen Gerichte nicht wissen. — Darum soll man solche Kindlein, bey und über welchen solch Seufzen, Wünschen und Beten von den Christen oder Gläubigen geschieht, nicht also dahin verdammen, gleich den andern, dabey kein Glaube, Gebet, noch Seufzen von christlichen und gläubigen Leuten geschieht." — Ergo pueri parentum impiorum, non christianorum et profanorum, qui non baptizati moriuntur, quanquam sacramentum non magis contemnunt, quam pueri parentum piorum et christianorum, hac sola de causa damnantur, quia parentibus impiis, non christianis et profanis nati sunt, precibusque Deo non commendantur? Nonne sic *Lutherus* Deum, apud quem προςωποληψία locum non habet (Rom. II, 11.), facit προςωπολήπτην (Act. X, 34.)? —

De coena Domini DOCENT, quod corpus et sanguis Christi vere adsint, et distribuantur vescentibus in coena Domini, *et improbant secus docentes* *).

*) Humanitas *Melanchthonis* ac lenitas in his paucis verbis *triplici* modo agnoscenda est. Nam *primo* in hoc *uno* Articulo *Antithesin* a *Thesi* non sejungit ac separatim ponit (omnes enim *Antitheses*, praeter hanc unam,

ſeparatae cernuntur), ſed uſu particulae copulativae *et* cum Theſi ipſa conjungit. *Deinde Zwinglianos* non nominat, quanquam de iis cogitat, neque etiam eos vel haereticorum, vel ſchiſmaticorum nomine onerat, ſed *ſecus docentes* appellat. *Denique* non duriori Verbo *damnandi*, ſed leniori *improbandi* uſus est.

De confeſſione DOCENT, quod abſolutio privata in eccleſiis retinenda ſit, quanquam in confeſſione non ſit necesſaria omnium delictorum enumeratio: est enim impoſſibilis, juxta Pſalmum: · *Delicta quis intelligit?*

De poenitentia DOCENT, quod lapſis post baptismum contingere poſſit remiſſio peccatorum, quocunque tempore cum convertuntur, et quod eccleſia talibus redeuntibus ad poenitentiam abſolutionem impertiri debeat. Conſtat autem poenitentia *proprie* his *duabus* partibus*). *Altera* est *contritio*, ſeu terrores incuſſi conſcientiae, agnito peccato; *altera* est *fides*, quae concipitur ex evangelio, ſeu abſolutione, et credit, propter Christum remitti peccata, et conſolatur conſcientiam, et ex terroribus liberat. *Deinde ſequi debent bona opera, quae ſunt fructus poenitentiae.*

DAMNANT *Anabaptistas*, qui negant, ſemel justificatos poſſe amittere Spiritum ſanctum, *item*, qui contendunt, quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non poſſint. *Damnantur* et *Novatiani*, qui nolebant abſolvere lapſos post baptismum, redeuntes ad poenitentiam. *Rejiciuntur* et isti, qui non docent, remiſſionem peccatorum per fidem contingere, ſed jubent nos mereri gratiam per ſatisfactiones nostras.

*) Recte h. l. poenitentia *duabus* partibus conſtare dicitur, non *tribus*. Cfr. Confeſſio *variata* a nobis reddita pag. 33. 34.

De uſu ſacramentorum DOCENT, quod ſacramenta inſtituta ſint, non modo, ut ſint notae profeſſionis inter homines, ſed magis, ut ſint ſigna et testimonia voluntatis Dei erga nos ad *excitandam* et confirmandam fidem in his, qui utuntur, propoſita. Itaque utendum est ſacramentis ita, ut fides accedat, quae credat promiſſionibus, quae per ſacramenta exhibentur et ostenduntur.

DAMNANT igitur illos, qui docent, quod ſacramenta ex opere operato justificent, nec docent, fidem requiri in uſu ſacramentorum, quae credat, remitti peccata.

De ordine eccleſiastico DOCENT, quod nemo debeat in eccleſia *publice* docere, aut ſacramenta administrare, niſi rite vocatus.

De ritibus eccleſiasticis DOCENT, quod ritus illi ſervandi ſint, qui ſine peccato ſervari poſſunt, et proſunt ad tranquillitatem et bonum ordinem in eccleſia, ſicut certae feriae, festa, et ſimilia. De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conſcientiae onerentur, tanquam talis cultus ad ſalutem neceſſarius ſit. Admonentur etiam, quod traditiones humanae, inſtitutae ad

placandum Deum, ad promerendam gratiam, et satisfaciendum pro peccatis, adversentur evangelio et doctrinae fidei. Quare vota et traditiones de cibis et diebus cet., institutae ad promerendam gratiam et satisfaciendum pro peccatis, inutiles sunt et contra evangelium.

De rebus civilibus DOCENT, quod legitimae ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere magistratus, exercere judicia, judicare res ex imperatoriis et aliis praesentibus legibus, supplicia *jure* constituere, *jure* bellare*), militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

DAMNANT *Anabaptistas*, qui interdicunt haec civilia officia Christianis. *Damnant* et illos, qui evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei et fide, sed in deserendis civilibus officiis. Quia evangelium tradit justitiam aeternam cordis, interim non dissipat politiam aut oeconomiam, sed maxime postulat conservare tanquam ordinationes Dei, et in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaque necessario debent Christiani obedire magistratibus suis et legibus, *nisi cum jubent peccare:* tunc *enim* (etiam) magis debent obedire Deo, quam hominibus. Act. V.

*) Alia sunt bella *justa*, alia *injusta*. Eadem distinctio locum habet in poenis. — Confessio igitur Principum monet Principes ab injustitia cum in bellando, tum in puniendo.

Item DOCENT, *quod Christus apparebit in consummatione mundi ad judicandum*, et mortuos omnes resuscitabit, piis et *electis* dabit vitam aeternam et perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos*) condemnabit, ut sine fide crucientur.

DAMNANT *Anabaptistas*, qui sentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem poenarum futurum esse. *Damnant* et alios, qui nunc spargunt judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pii regnum mundi occupaturi sint, ubique oppressis impiis.

*) *diabolum ejusque angelos* —

De libero arbitrio DOCENT, quod humana voluntas habeat *aliquam* libertatem ad efficiendam civilem justitiam, et deligendas res rationi subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu sancto efficiendae justitiae Dei seu justitiae spiritualis, quia *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei;* sed haec fit in cordibus, cum per verbum Spiritus sanctus concipitur. Haec totidem verbis dicit *Augustinus* lib. III. Hypognosticων: „*Est*, (Vulg. Esse) *fatemur, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum,* (Vulg. in iis) *quae ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut* CERTE*) *peragere, sed tantum in operibus vitae praesentis, tam bonis, quam malis.* Bonis *dico, quae de bono naturae oriuntur,* i. e. *velle laborare in agro, velle manducare et bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bo-*

narum, *velle*, (Vulg. vel) *quicquid bonum ad praesentem pertinet vitam*: *quae omnia non sine divino gubernaculo subsistunt*, *imò ex ipso et per ipsum sunt et esse coeperunt*. **Malis** *vero dico*, *ut est*: *velle idolum colere*, *velle homicidium cet.* (Cetera sunt haec a Pseudo-Augustino addita: velle adulterium facere, res alienas velle diripere, Deum viventem in secula blasphemare, velle turpiter vivere, velle maleficia discere, velle inebriari et luxuriose vivere, velle, quicquid non licet, vel non expedit operari).

DAMNANT *Pelagianos*, et alios, qui docent, quod sine Spiritu sancto, solis naturae viribus, possimus Deum super omnia diligere, item, praecepta Dei facere; *quoad substantiam actuum.* Quanquam enim *externa* opera *aliquó* modo efficere natura possit (potest enim continere manus furto, a caede); tamen *interiores* motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam, cet.

*) Verbulum CERTE et *Bossuetum*, virum celeberrimum, et, quod mireris, ipsum etiam *Planccium* nostrum, in errorem haud levem, eumque maxime memorabilem, induxit.

Bossuetus enim in libro nobilissimo *Histoire des Variations des Eglises Protestantes* Tom. I. *Paris* cıɔıɔccxxx. pag. 115. seq. ita: „*Luther* étoit *revenu des excès*, *qui lui faisoient dire*, *que la prescience de Dieu mettoit le libre arbitre en poudre dans toutes les creatures*, *et il avoit consenti*, *qu'on mit cet article dans la Confession d'Ausbourg*: *Qu'il faut reconnôitre le libre arbitre dans tous les hommes*, *qui ont l'usage de la raison*, *non pour les choses de Dieu*, *que l'on ne peut commencer*, *ou* DU MOINS *achever sans lui*; *mais seulement pour les oeuvres de la vie praesente*, *et pour les devoirs de la societé civile.* —

Il y avoit même un petit mot dans le passage, *qu'on vient de voir de la Confession d'Ausbourg*, *où pour des gens*, *qui vouloient* TOUT *attribuer à la grace*, *on n'en parloit pas à beaucoup*, *près si correctement*, *qu'on fait dans l'eglise catholique. Ce petit mot*, *c'est*, *qu'on dit*, *que de lui-même le libre arbitre ne peut commencer*, *ou* DU MOINS *achever les choses de Dieu*, *restriction*, *qui semble insinuer*, *qu'il les peut du moins commencer par ses propres forces*: *ce qui étoit une erreur demipelagienne*, *dont nous verrons dans la suite*, *que les Lutheriens d'àpresent ne sont pas éloignés.* —

Bossuetus igitur vestigium Semipelagianismi reperisse in hoc Articulo sibi videtur propter verbulum CERTE, quod non *Pseudo-Augustinum*, sed ipsum *Melanchthonem*, totius sententiae et orationis auctorem, consentiente *Luthero*, Verbo *peragere* addidisse putat.

Habuit haud dubie vel editionem *Melanchthonis* principem latinam, vel aliam quandam, in qua intelligentia legentium non magis adjuvatur, quam in *Melanchthoniana.* Nos quidem, ubi locum alicujus auctoris, et ipsa ejus verba afferimus, non solum ponere solemus Colon, sed etiam majoris perspicuitatis causa, legentium intelligentiam quovis modo curantes, diligentissimeque caventes, ne oratio aliena cum nostra commisceatur, nobisque tanquam auctoribus adfingatur, insuper, praeter illud Colon, quamvis vel hoc sufficere videatur, signum allegationis „—“ orationi alienae et praeponere et postponere, atque adeo orationem illam ipsam literarum formis, quae a *currendo* nomen habent, exprimendam curare, atque a nostra oratione sic quoque distinguere solemus. Haec talis cautio, ne vel minima lectoribus molestia creetur, hoc tale studium intelligentiae consulendi, haec triplex cura ac diligentia frustra quaeritur in scriptis majorum nostrorum, et in utraque illa editione *Melanchthoniana* desideratur. Loco illi laudato neque signum allega-

tionis praepositum et postpositum est, neque typorum diversitas eidem illi distinguendo inservit. Quid? quod ne Colon quidem praemissum legentes de verbis alienis admonet. Eadem plane negligentia reperitur etiam in *Rechenbergiana* editione, tritissima illa; in *Walchiana* contra duplex certe cura distinguendi adhibita est: *Colon et typorum diversitas.*

Si *Bossuetus* Confessionem latinam cum germanica contulisset, et locum laudatum in editione Opp. *Augustini*, quae prodiit Antwerpiae CIƆIƆCC. opera et studio Monachorum Ordinis Sancti Benedicti e Congregatione S. Mauri Tom. X. P. II. ipse legisset; fieri profecto non potuisset, ut totum illum locum *Melanchthoni* tanquam auctori attribueret. Nam in germanica Confessione leguntur haec: „Und damit man erkennen möge, daß hierinne keine Neuigkeit gelehrt wird, so sind das die klaren Worte *Augustini* vom freien Willen, hier beygeschrieben aus dem dritten Buche Hypognosticon." — Et in editione illa Opp. *Augustini*, cum ab exigua lectionis varietate discesseris, quae nullius est momenti, sensumque prorsus non afficit, vere reperies locum a *Melanchthone* laudatum. Pro *Est*, *fatemur*, posuit *Melanchthon*: *Esse fatemur* —, et in germanica Confessione scripsit: „Wir bekennen, daß in allen Menschen ein freier Wille ist (sey)." — Post *idoneum* addidit *in iis*, quae habent explicandi vim.

Cum *Bossuetus* solam Confessionem latinam ante oculos haberet; error ejus aliquo modo videtur excusari posse. Quanquam enim τὸ *fatemur*, haec prima persona pluralis Numeri, aliquo modo legentibus orationis alienae initium indicat (praecedit in Thesi τὸ *docent*, non *docemus*, et in Antithesi sequitur τὸ *damnant*, non *damnamus*, ideoque credibile est, *Melanchthonem* scripturum fuisse: *Esse fatentur* scil. *ecclesiae nostrae*); quanquam etiam sub finem loci laudati verbis *velle homicidium* τὸ *cet.* adjectum est; quanquam denique praemissa sunt verba: „*Haec totidem verbis dicit Augustinus* lib. III. *Hypognosticων;* quanquam igitur ille, si locum laudatum paulo attentius intuitus esset, vel trium horum alienae orationis indiciorum animadversione ab errore sibi cavere, eumque evitare potuisset; tamen, cum in ipsa etiam Confessione, nominatim P. II. Art. VI. et in Epilogo, prima persona pluralis Numeri reperiatur (— *Haec ideo recitavimus — complexi sumus — praetermisimus* —), τὸ *cet.* vero nonnunquam ipsis etiam Confessionis verbis adjiciatur, (velut in ipso hoc Articulo extremo, in Antithesi: — *ut timorem Dei, fiduciam* erga Deum, *castitatem*, *patientiam* cet.), denique etiam lectoribus locus aliquis non raro commendari soleat sic, ut verba ipsa non in medium proferantur, neque illud *fatemur*, neque hoc *cet.*, neque praemissa loci commendatio sufficit ad locum laudatum ab ipsius Censessionis verbis satis recte ac certo distinguendum, nec *Bossueti* culpam nimis augere licet, sed errorem illum imbecillitati humanae condonare decet.

Alius autem error *Bossueti*, isque multo gravissimus, tali viro vix condonandus, deprehenditur in loci laudati, praesertim verbuli CERTE, interpretatione maxime inepta, qua Semipelagianismum eruere conatur. In exemplo germanico *Melanchthon* non singula loci laudati verba premit, sed impotentiam liberi arbitrii in iis, quae ad Deum pertinent, in universum describit, auctoremque illius loci hominibus omnem facultatem boni spiritualis vel inchoandi vel peragendi denegare his verbis significat: — Sie haben ja alle natürlich angebornen Verstand und Vernunft, nicht, daß sie vermögen mit Gott zu handeln, als Gott von Herzen zu lieben, zu fürchten, sondern allein in äuserlichen Werken dieses Lebens haben sie Freiheit, Gutes oder Böses zu wählen — welches alles doch ohne Gott nicht ist, noch bestehet, sondern alles aus ihm und durch ihn ist. — Recte. Si enim liberum arbitrium plane nihil boni spiritualis sine Deo efficere potest, quae est sententia *Melanchthoniana;* profecto neque aliquid boni spiritualis sine Deo *inchoare*, neque *peragere* potest, quae est sententia loci laudati a *Melanchthone* germanice expressa. Ergo neque in exemplo germanico, neque in latino ullum est vel Pelagianismi, vel certe Semipelagianismi vestigium, imò aperte doctrina proponitur et Pelagianismo et Semipelagianismo contraria.

Bosſuetus verba latina pervertit ac distorquet mirum in modum, ſic, quaſi legantur haec: *Etſi liberum arbitrium non potest ſine Deo aliquid boni ſpiritualis peragere; tamen* CERTE *inchoare potest.* At enim vero τὸ CERTE non praepoſitum est τῷ *inchoare*, ſed τῷ *peragere.* Dicit ille, verbulum CERTE eſſe *une reſtriction.* Sane quidem est; ſed non talis, qualis illi videtur: *qui ſemble inſinuer, qu'il les peut du moins commencer par les propres forces.* Imò hoc vult loci auctor, et cum eo *Melanchthon*, qui ejus ſententiam omnino probat: Qnamvis fortaſſe facile videatur, bonum ſpirituale *cum Deo inchoatum ſine Deo peragere;* tamen liberum arbitrium ne hoc quidem potest, *non magis ſine Deo peragere potest, quam ſine Deo inchoare.* Cum Deo peragere non minus debet, quam cum Deo inchoare.

In vita communi ſaepenumero experimur, verum eſſe illud tritum: *Dimidium facti, qui bene coepit, habet* — Ἀρχὴ ἥμισυ παντός — *Initium grave, medium facile, finis jucundus* — Quod quidem ne ad opera ſpiritualia transferretur, neceſſitasque auxilii divini in peragendo pariter atque in inchoando agnoſceretur, auctor loci illius praepoſito verbulo CERTE cavere voluit.

Si locus ſic ſe haberet: *Liberum arbitrium non est idoneum, res ſpirituales ſine Deo inchoare,* CERTE *non idoneum est, peragere eas ſine Deo* —; profecto *Bosſuetus* recte interpretatus eſſet loci ſententiam. Sic enim haud dubie ſenſus eſſet hic: De initio bonarum actionum nobis nondum ſatis conſtat, ideoque concedimus, eas ſine Deo, viribus naturalibus, inchoari poſſe, quanquam ſententia contraria nobis probabilior habetur; ſed actiones illas ſine Deo peragi non poſſe, id quidem omni caret dubitatione, estque nobis longe certiſſimum. Etiamſi igitur quodammodo dubii haereamus de actionum illarum initio, et hac in re liberales ſimus; tamen de earundem illarum peractione et perfectione ſtat ſententia, nihilque cedere posſumus. Sic τὸ *aut certe* (oder doch wenigſtens) in Apol. de Justif.: „Si adverſariorum doctrinam recipimus; nihil jam interest inter philoſophicam justitiam, *aut certe* (oder doch wenigſtens) Phariſaicam, et christianam. —

Sed locus ille laudatus non ita habet. Adverbium NON illo in loco non legitur bis. Non ſic: NON est idoneum — CERTE NON est idoneum —; ſed haec ſunt verba: „*Non* (ſcil. id, tale est judicium rationis), *per quod ſit idoneum* (liberum ſcil. arbitrium), *quae ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certe* (oder doch wenigſtens) *peragere.*" — Tantum igitur abest, ut *Melanchthon* Semipelagianismo faveat, ut ei adverſetur nominatim ac diſtincte, et *Augustini* potius ſententiam ſequatur, quem a Pelagianismo et Semipelagianismo alieniſſimum fuiſſe conſtat. — Veriſſimam eſſe interpretationem nostram, non ſolum docet omnis verborum conſtructio, ſed etiam aliarum ſententiarum ejusdem auctoris collatio. Vide, ſi placet, et licet, *Prolegomena nostra ad Confeſſionem Aug.* (ubi plures loci congesti et comparati ſunt) in *Volumine* I. *ſcriptorum ſymbolicorum eccleſiae evangelico — Lutheranae,* anno hujus ſeculi *nono Vitebergae* edito.

Baumgartenius in den Erläuterungen der ſymbolischen Schriften der evangeliſch-Lutheriſchen Kirche, Halle 1747. pag. 66. haec annotavit: „Die Worte *aut certe* ſind eine ſteigende Rede, und machen die Unmöglichkeit des Anfangs guter Handlungen nicht zweifelhaft." — Quis est, qui in hac breviore annotatione acquieſcere poſſit? Etſi enim recte judicat, auctorem loci illius et cum eo *Melanchthonem* non dubitare de neceſſitate auxilii divini in rebus ſpiritualibus inchoandis; tamen non intelligere licet, quomodo ex oratione *adſcendente*, quam ſumit, judicii illius veritas ostendi poſſit. Si ſimpliciter de *inchoando* et *peragendo* ſermo eſſet; ſane ego agnoſcerem orationem ab inchoando ad peragendum adſcendentem. Cum autem Verbo *peragere* verbulum CERTE praepoſitum ſit, quod *reſtringendi* ac *deminuendi* vim habere conſtat; h. l. non *adſcendentem* ſumere licet orationem, ſed agnoſcere debemus *deſcendentem* — oder doch wenigſtens —

Boernerus in *Institutionibus Theologiae symbolicae* Lipf. CIƆIƆCCLI. pag. 249. haec de loco nostro fcripfit: „*Benignus Bosfuetus inepte Semipelagianismi reos facit confesfores nostros. Nempe, cum dicatur, liberum arbitrium non esfe idoneum in iis, quae ad Deum pertinent, fine Deo aut inchoare, aut certe peragere, ex vocabulo CERTE Semipelagianum exfculpit errorem, ejusque additione fignificari vult, liberum arbitrium res divinas fuis viribus minimum inchoare posfe. Ecquis non videt, abfona hac expofitione manifestam injuriam fieri confesforibus? Nam cum vocula certe ELEGANTIAE CAUSA fit addita; verus verborum is est fenfus: In rebus fpiritualibus nec inchoare, nec peragere quidquam hominem posfe, fine divina gratia, quo etiam modo in germanica verba haec redduntur Confesfione.*“ —

Omnem hanc orationem *Boerneri* probo, praeter miram istam *elegantiam*, quam in verbulo *certe* inesfe dicit, praeter *elegantem* fcilicet pleonasmum, quem temere fumit. Rififset, credo, *Bosfuetus*, et fuo quidem jure, fi talem verbuli *certe* interpretationem tamque *elegantem* refutandi rationem vidisfet. Eodem jure rifisfet hanc apologiam, quo nos ipfius calumniam ridemus. Fingas, quaefo, me fcripfisfe haec: Fortasfe ego hunc locum Confesfionis et plures alios, eos potisfimum, in quibus *Melanchthon* non *prior*, fed *posterior* vulgo loqui putatur, primus recte interpretatus fum: CERTE equidem neminem novi, qui ante me recte eos fit interpretatus. — Fingas igitur, me haec aliquo in libro fcribere aufum esfe. Audeasne tu dicere, illud CERTE a me *elegantiae caufa* esfe additum, et per *elegantem* fcilicet pleonasmum prorfus abundare? Nonne tibi luce clarius fit, me *modestiae* et *cautionis caufa* illud addidisfe, partim ne gloriolâ meâ fuperbire, et hominibus vanis laudum cupidioribus adnumerandus esfe viderer, partim ne, fi unus et alter mihi nominaretur, qui eosdem illos Confesfionis locos eodem plane modo ante me interpretatus esfet (quod in tanto eorum numero, qui intra trium feculorum fpatium Augustanae Confesfionis et verba, et fententias, illustrare voluerunt, profecto non esfet mirandum), rifui aliorum et contemtui expofitus pudore fuffunderer, et audaciae meae justas darem poenas? —

Hactenus contra *Bosfuetum* potisfimum disputavimus. Nunc quoque contra *Planccium* illum, qui, uti fupra diximus, quod mireris, et ipfe propter verbulum CERTE (et vero etiam propter alias caufas) in eundem errorem inductus est, et *Melanchthonem posteriorem*, intelligentiorem doctrinae christianae profesforem, in hoc Articulo loqui existimat, nonnulla videntur animadvertenda. In opere praeftantisfimo, quo nemo Theologorum carere potest, Gefchichte des protestantifchen Lehrbegriffs 4. B. pag. 555 feqq. tribus potisfimum de caufis in Articulo nostro *Melanchthonem posteriorem* reperisfe fibi videtur, eumque fententiam fuam pristinam de arbitrio humano ex aliqua certe parte mutasfe judicat. Adfcribamus illas rationes ipfius verbis expresfas, et, quae nobis contra disputanda videantur, deinceps addamus:

1.) „Doch verdient bemerkt zu werden, daß er fich hier und in dem Artikel *de libero arbitrio* mit einer vorfichtigen Unbeftimmtheit ausdrückte, aus der man beynahe fchon eine Veränderung feiner Überzeugungen fchließen möchte. Er räumte wenigftens itzt fchon ein, *quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam et deligendas res rationi fubjectas;* aber er leugnete im Gegentheil nur, *quod habeat vim fine Spiritu fancto efficiendae justitiae fpiritualis — et quod fit idonea in iis, quae ad Deum pertinent, fine Deo aut inchoare aliquid, aut CERTE peragere.*“

Resp.

Quod *Melanchthon* h. l. concesfisfe dicitur, id ipfum concesfit *Melanchthon prior*. Quod negasfe dicitur, id et ipfum negavit *prior*. Ergo non video, quo jure *Planccius* conjicere potuerit, eum jam tunc, cum Confesfionem fcripfit, fententiam de arbitrio humano mutasfe.

Quod *Melanchthon* h. l. *aliquam libertatem* et aliquam *deligendi* facultatem voluntati humanae tribuit, id rem non efficit: nam *improprie* ipfis etiam bestiis *aliqua libertas* et *deligendi facultas* (i. e. fponta-

neitas) attribui solet. Aliud est, *sponte deligere;* aliud, *libere deligere*, proprio quidem et morali significatu. Equus pabulum *sponte* quidem deligere potest; *libere* non item. — Quae in Apologia fusius hac de re traduntur, ea et ipsa nihil continent, unde *verae libertatis* notionem recte colligere possis. „*Neque vero* (haec ibi leguntur) *adimimus humanae voluntati libertatem.* Habet humana voluntas libertatem in operibus et rebus deligendis, quae ratio per se comprehendit. Potest *aliquo modo* efficere justitiam *civilem* seu justitiam operum — in opere *externo* eligendo — reliquus est *delectus* earum rerum et *libertas* — *concedimus libero arbitrio libertatem.*" — Sed haec omnia, quamvis magnam habeant speciem, non sufficere ad docendum, *Melanchthonem* vel tum opinionem suam pristinam de arbitrii humani servitute, de praedestinatione fatalique necessitate missam fecisse, veramque de voluntatis humanae libertate sententiam amplexum esse, *duplici* ratione ostendere posse mihi videor.

a) *Primo* quidem teneas, velim, *Melanchthonem* in Locis suis a 1521., *ubi veram libertatem, omnem omnino, voluntati humanae adimi, et omnia a necessitate et praedestinatione divina repeti,* nullo modo negari potest, nihilo tamen minus voluntati humanae, *plane sic, ut in Confessione,* aliquam libertatem deligendique facultatem relinquere. Ipsa Loci — *de hominis viribus adeoque de libero arbitrio* — inscriptio declarat, *Melanchthonem* non de libertate voluntatis, quae proprie dicitur, cogitasse, sed de viribus humanis in universum, de natura humana universa, de intellectu et voluntate simul. Quanquam in illo Loco aperte et sine ulla ambiguitate profitetur, nullam prorsus esse libertatem voluntatis humanae, et (fol. 19. 6.) naturae humanae vires *citra Spiritus sancti adflatum* (sine Spiritu sancto) non posse dicit, nisi peccare, atque adeo dogma de libero arbitrio *impium* vocat; tamen etiam leguntur haec:

„Videtur juxta naturae judicium *quaedam in externis hominum operibus libertas:* experiris enim, in potestate tua esse salutare amicum, aut non salutare, hac vel illa veste indui, vesci carnibus, aut non vesci. — Fieri potest, ut praeter et contra affectum *deligatur* opus *externum*, ut fieri potest, ut aliud loquare, quam quod intellectus sentit. Sed cum deligitur opus externum contra affectum, fere fit, ut infirmior affectus potiore vincatur, ut negari non potest, quin voluptates amet *Macedo, Alexander;* tamen, quia gloriam vehementius ardet, *deligit* laborem, voluptates aspernatur, non quod eas odio habeat, sed quod gloriam magis ardeat. — Naturam expellas furcâ; tamen usque recurret. — Ita vides, *delectum* etiam *externorum* operum *non satis esse liberum.* (Sic in loco *Pseudo-Augustini:* „quae omnia non sine divino gubernaculo subsistunt, imò ex ipso et per ipsum sunt, et esse coeperunt" —). *Nullam igitur libertatem esse voluntati humanae in sumendis vel ponendis spiritualibus affectibus, amore, metu Dei, fide, spe* cet. perspicuum est. — *Postremo libertatem homini divina adimit praedestinatio.*" —

Nonne vides, *Melanchthonem priorem*, Praedestinatianum illum, fatalisque necessitatis defensorem, plane sic, ut in Confessione et Apologia, *aliquam libertatem deligendique facultatem*, h. e. libertatis quandam speciem, *voluntati humanae* relinquere? Nonne constat, omnes Deterministas, (quanquam *veram libertatem deligendique facultatem* reapse tollant, tamen verbo relinquere, et hactenus Epicureorum esse similes, quos *Cicero* ait verbis reliquisse Deos, re sustulisse?

b) *Deinde* auctorem Confessionis non fuisse *Melanchthonem posteriorem*, sed *priorem*, supra jam vidimus. Auctor enim Confessionis variatae, *Melanchthon posterior*, non scripsit: „*Spiritus sanctus fidem efficit in iis, qui audiunt, ubi et quando Deo* visum est" —; sed ita: *Cum hoc modo consolamur nos — et erigimus nos fide; certo consequimur remissionem peccatorum, et simul datur nobis Spiritus sanctus* cet." — Et in Confessione variata Art. de libero arbitrio legimus haec: „*Porro Spiritum sanctum concipimus, cum verbo Dei assentimur, ut nos fide in terroribus* consolemur." — Tacemus jam de Articulo proximo, qui est *de causa peccati*, in quo luculentissimum reperiemus *Melanchthonis prioris* vestigium.

Quemadmodum igitur in Confessione invariata *justitia* civilis libero hominis arbitrio attribuitur: ita *justitia* spiritualis gubernationi et efficacitati Spiritus sancti, ac simpliciter quidem, *nulla voluntatis humanae mentione facta*, quam quidem *Melanchthon posterior*, sive κατὰ τὸ ῥητὸν, sive κατὰ τὴν διάνοιαν, oblivisci non solet. Si igitur in Confessione invariata et Apologia justitia civilis libero arbitrio hominis, et spiritualis contra Spiritui sancto attribuitur; revera in homine, sive non renato, sive renato, *vera voluntatis humanae libertas* tollitur, et *sola spontaneitas* relinquitur, hoc tantum cum discrimine, ut in homine non renato, qui libero suo arbitrio, h. e. natura sua, naturae suae viribus, justitiam civilem praestat, sit *spontaneitas naturalis*, in renato autem homine, qui justitiam spiritualem per Spiritum sanctum accepit, *spontaneitas spiritualis*.

2) „Dieses *aut CERTE* war schwerlich seiner Feder entschlüpft."

Resp.

Ex hac altera ratione apparet, *Planccium* cum *Bossueto* non solum in errore graviore, sed etiam in leviore, facilius condonando, consentire. Respondeo igitur duplici modo:

a) Quod non scripsit seinem AUGE, sed seiner FEDER entschlüpft, ex eo recte mihi videor intelligere, *Planccium* legisse Articulum nostrum in editione *Melanchthonis* principe, vel in *Rechenbergiana*, tritissima illa maximeque usitata, et propter causas supra commemoratas in hunc errorem incidisse, ut verba loci laudati illius non ex libro *Augustini*, aut *Pseudo-Augustini transscripta*, sed ab ipso *Melanchthone scripta* putaret, neque orationem alienam, sed *Melanchthonis* ipsius esse crederet. Quapropter altera illa ratione significavit, non facile esse ad credendum, *illud CERTE ipsius pennae excidisse*, h. e. casu quodam, inconsiderate, temere, non consulto, non de industria esse additum. Sed falsus est vir doctissimus. Illud CERTE neque ipsius *calamo*, neque oculo excidit. *Recte transscripsit*, quae in libro *Pseudo-Augustini recte scripta recte vidit*.

b) Deinde fingamus, locum illum non continere orationem alienam, sed ipsius *Melanchthonis* verba, sumamus, ipsum auctorem Confessionis suis verbis, ex suo ipsius ingenio, verbulum illud considerate, consulto, de industria apposuisse; tamen, cum ipse in hoc Articulo sententiam *Augustini* de libero arbitrio, *omnem omnino*, et *nominatim*, veram habeat ac probet, ne sic quidem de mutata ipsius sententia cogitare liceat. Quae contra *Bossuetum* de vi ac potestate illius verbuli copiosius sunt a nobis exposita, non est, quod repetamus. Restat tertia, eaque ultima ratio.

3) „Bloße Vergessenheit war es wohl auch nicht, daß er in der diesem Artikel angehängten Antithese nur die Meynung der Pelagianer und derjenigen verwarf, qui docent, quod sine Spiritu sancto *solis* naturae viribus possimus Deum super omnia diligere, et praecepta Dei facere. Aber alles dies paßte so gut zu der neuen Theorie, die er in der Folge aufstellte, daß er dabey ohne den mindesten Zwang von allen diesen Ausdrücken Gebrauch machen konnte."

Resp.

a) Ergone putemus, *Melanchthonem* in Antithesi de *Semipelagianorum* opinione, cui faveret, deliberato animo et caute tacuisse? Equidem non putaverim. Nam similis est Antithesis in Locis *Melanchthonis prioris* a. 1523. fol. 12. b. haec quidem: „Minori negotio *Pelagiani veteres* refelli possunt, quam nostrorum temporum *novi Pelagiani*, qui, etsi non negant esse peccatum originale, *negant tamen, eam esse vim peccati originalis, ut omnia hominum opera, omnes hominum conatus, sint peccata.*" — Loquitur h. l. partim de *veteribus Pelagianis*, partim de *novis*, quos in Apologia uberius describit, et in nostra Antithesi his verbis indicat: *et alios, qui docent, quod sine Spiritu sancto, solis naturae viribus, possimus*

cet. — Num etiam *Melanchthon prior* Semipelagianismi fautor fuit, et consulto de hac opinione tacuit? Nonne potius *Pelagianorum* nomine tanquam *generali* etiam *Semipelagianos* comprehendisse censendus est?

b.) Neque vero etiam cum *Planccio* τὸ *solis naturae viribus* ita premendum est, ut cogatur, haec verba interpretanda esse ex sensu *Melanchthonis posterioris*, qui in conversione et emendatione hominis *voluntati quoque hominis* suas concederet partes, quasi illis verbis dicere voluerit: Verum quidem est, hominem debere viribus suae naturae uti; sed non minus verum est, hominem *solis* naturae suae viribus, sine auxilio Dei, converti emendarique non posse. — Quanquam enim locutionis per se spectatae ambiguitatem agnosco; tamen eam in Apologia sublatam video, ubi pro *solis* naturae viribus legitur *integris et propriis*. Cfr. Apol. Art. II.

„Tribuunt interim humanae naturae *integras* vires ad diligendum Deum super omnia, ad facienda praecepta Dei quoad substantiam actuum, nec vident, se pugnantia dicere. Nam *propriis* viribus posse diligere Deum super omnia, facere praecepta Dei, quid aliud est, quam habere justitiam originis?“ — „Quanquam *Scholastici* utrumque extenuant, peccatum et poenam, cum docent, hominem *propriis* viribus posse mandata Dei facere“ — „Non possumus nos *propriis* viribus *ex ista servitute* eximere.“ — *Scholasticos* h. l. damnat; in Antithesi a. 1523. non solum *veteres*, sed etiam *novos Pelagianos*, et in Antithesi a. 1530. non solum *Pelagianos*, sed *alios quoque, qui docent, quod sine Spiritu sancto, solis naturae viribus, possimus* cet.

*De causa peccati**) DOCENT, quod, tametsi Deus creat et conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli et impiorum, quae, *non adjuvante Deo***), avertit se a Deo, sicut Christus ait Joh. VIII.: *„Cum loquitur mendacium, ex se ipso loquitur.“*

*) Vulgo discrimen Confessionis variatae et invariatae potissimum in Articulo *de coena Domini* quaerendum putatur; in Articulo autem *de causa peccati*, in quo varietas reperitur omnium gravissima, et praecipue animadvertenda, vulgo nihil plane discriminis, ne minima quidem variatio, animadvertitur. Vid. *Walchii* Historische Einleitung in die Augspurgische Confession pag. 22. 23. Christliches Concordienbuch 1750. „Die Veränderung betraf die Sache, eine Lehre, darüber die Evangelischen mit *Zwinglio* und seinen Anhängern stritten, und sie war so beschaffen, daß sie billig als eine Verfälschung angesehen wurde. Eben darauf beruhet eigentlich der Unterschied unter der ungeänderten und geänderten Confession, und das rechte Kennzeichen der letztern ist, daß der zehnte Artikel geändert, und aus demselben nicht zu erkennen ist, worauf die rechte Lehre der Lutherischen Kirche vom heiligen Abendmahle ankomme. Denn wiewohl Melanchthon außerdem auch in dem VIERTEN, FÜNFTEN und ACHTZEHNTEN ein und das andre geändert hatte; so hatte doch dieses so viel nicht auf sich, als gedachtermaßen bey dem zehnten Artikel geschehen war.“ —

Omissionem igitur Antitheseos in Articulo *de coena Domini* hic vir omnium variationum gravissimam habet; omissionem vero, quae in Articulo *de causa peccati* reperitur, et mihi quidem omnium variationum gravissima habetur, ne animadvertit quidem. Tres tantum numerat Articulos, in quibus etiam nonnulla, quamvis exigua et levis, varietas cernatur; at vero praeter unum, *primum*, Articulum cernitur in omnibus, vel major, vel minor, vel gravior vel levior, longe autem maxima et gravissima in Articulo *de causa peccati*, qui praecipue tribus illis a *Walchio* adnumerari debebat.

Ne *Weberus* quidem, (est sane, quod miremur), ne hic quidem Criticus diligentissimus, in *historia sua critica* A. C. P. II. pag. 105. varietatem in illo Articulo vidit. „Sie, die *variata latina* vom Jahre 1540. unterscheidet sich von der Original-Ausgabe vom Jahr 1530. 4. und der *latina variata* vom Jahr 1531. 8. dadurch,

daß die mehresten Glaubensartikel, vorzüglich der IV. V. VI. XVIII. XX. XXI. ausführlicher bearbeitet, auch in Ansehung der Ordnung etwas anders gestellt worden sind." Addere debebat Art. XIX. propter omissionem maxime memorabilem.

Si de *causa* peccati quaerimus; non quaeri debet de causa *τοῦ fieri posse*, non de causa *possibilitatis*, (nam profecto, hac de causa si cogites, Deus, hominum effector et conservator, sine ulla blasphemia, causa peccati appellari potest ac debet), sed de causa *τοῦ fieri*, *τοῦ esse*. Hac de causa si cogites; Deum peccati causam dicere sine blasphemia non possumus. *Causa sine qua non* (causa possibilitatis), uti vulgo cum Scholasticis recte dicitur, *non est causa* i. e. non est causa efficiens. Jam igitur quaeritur de peccati causa *efficiente*, quam vere, proprie et *κατ' ἐξοχὴν causam* dixeris.

Qua quidem in re, ut appareat, facillimeque intelligi possit ab omnibus, quale quantumve sit *Melanchthonis prioris et posterioris* discrimen; duas Locorum editiones, alteram a. 1523. a *Melanchthone priore*, alteram a. 1535. a *posteriore* curatam, consulere, et judicium *prioris* cum judicio *posterioris*, et *hujus* sententiam cum sententia *illius* diligenter contendere et conferre necesse est. Videamus itaque deinceps, quid senserit *uterque*, *prior et posterior*, de *causa* peccati, de peccatorum mortalium *origine*, atque de *contingentia*.

I. De causa peccati.

Melanchthon prior in Locis theol. a. 1523. fol. 11.: „Deus Opt. Max. cum condidisset hominem sine peccato; *aderat ei* (adjuvabat eum) *per Spiritum suum, qui hominem ad recta inflammaret.* (Ergone etiam homo recens creatus in statu integritatis auxilio Spiritus sancti carere, et sine eo, solo rationis et voluntatis liberae usu, recte agere virtutisque perfectae laudem acquirere sibi non potuit?) *Idem Spiritus gubernaturus erat omnem Adae posteritatem, nisi lapsus fuisset Adam.* (Sed quo tandem modo labi potuit *Adamus*, cum non tantum rationis consiliique compos atque a vitiositate naturae liber esset, sed eum quoque Deus per Spiritum suum adjuvaret, qui hominem sine peccato conditum ad recta inflammaret? — Scilicet Deus ei Spiritum suum sanctum eripuit, neque eum ad recta inflammavit. — Cur vero hominem hoc auxilio, quo carere non poterat, privavit? Si homo vera voluntatis libertate deligendique facultate instructus fuit, quod nos quidem recte credimus; pariter potuisset *stare* atque *labi*, et lapsus est *suâ ipsius*, *non Dei* culpâ. Quod vero Deus hominem, qui *suâ ipsius vi, solis naturae suae viribus, sine auxilio Dei stare*, h. e. recte agere *non poterat*, auxilio suo (ex absoluto nempe decreto, isto horrendo) destituit, sibique soli reliquit, atque hoc modo effecit, ut homo laberetur seu peccaret; profecto culpa non in hominem, sed in Deum ingerenda est, et Deus ipse peccati auctor et causa efficiens haberi debet.) — „*Jam posteaquam deliquit Adam; aversatus est Deus hominem* (injuria sane!), *ut non adsit ei gubernator, Dei Spiritus.*" —

Melanchthon posterior, qui, rectae rationis et Scripturae decretis convenienter, voluntati humanae non tantum *spontaneitatem*, non tantum aliquam libertatis speciem, sed *veram libertatem voluntatis*, *vere liberum arbitrium* attribuit, hic *posterior*, intelligentior purioris doctrinae professor, *a solo* libertatis *abusu* peccatum repetit, Deumque peccati causam esse non modo negat, sed etiam recte negat, h. e. non modo *dicit*, Deum peccati causam non esse, velut in Confessionis invariatae Articulo XIX., sed etiam *docet*. Nam A. 1535. Loc. theol. „*Christus inquit, diabolum esse patrem mendacii, et ex propriis loqui mendacium: Et cum ait: Ex propriis loquitur —, discernit vitium a natura, quam Deus condidit et conservat.* (Natura igitur est a Deo; vitium naturae diaboli culpâ ortum). *Neque enim haec inter se pugnant; naturam a Deo ortam esse et conservari, et tamen voluntatem diaboli et hominis causam esse peccati, quia* (attendas, quaeso, ad haec verba!) *voluntas ABUTI LIBERTATE SUA POTUIT, SEQUE A DEO AVERTERE.* (Ergo utriusque voluntas, et diaboli, et hominis, vere fuit libera. Uterque uti recte agere, ita etiam peccare potuit. Neuter necessario peccavit.)" —

II. De peccatorum mortalium origine.

Melanchthon prior ibid. fol. 81.: „*Nonnunquam sanctis Deus eripit Spiritum, ut in manifesta vitia prolabantur.*" — Cur vero eripit? Scilicet ex absoluto decreto. — Sic *Lutherus* in Artic. Smalcald. III, 3 de poenit. sub fin.: „So ist von nöthen zu wissen; daß, wo die heiligen Leute etwa in Sünde fallen, als David in Ehebruch, Mord und Gotteslästerung, daß alsdann der Glaube und **Geist** ist weg gewest." — Cur vero abfuit Spiritus sanctus? Scilicet ex absoluto decreto. —

Posterior describit quidem et ipse peccata mortalia, neque vero, *Deum nonnunquam sanctis Spiritum sanctum eripere*, contendit, sed ista peccata ab hominum negligentia, levitate, studiique repugnandi intermissione ac segnitie proficisci statuit.

III. De contingentia.

Prior Melanchthon ibid. fol. 596.: „*Quaeso te, ad eum modum mysterium creationis tractare potest caro. Aut illud carnalium somniorum chaos, philosophia, cum CONTINGENTER evenire res arbitretur, plane negat opus creationis.*" — Res igitur omnes in universum, actiones etiam humanas, contingenter evenire negat, quia, si quis hanc sententiam sequatur, opus creationis neget, necesse sit.

Posterior actionum humanarum *contingentiam* defendendam judicat, quia sine ea Deum causam peccati faciamus, necesse sit: „*Constituta autem hac sententia, quod Deus non sit causa peccati, plane sequitur, CONTINGENTIAM concedendam esse.* (Ideo quoque in Locis theol. 1535. haec legitur inscriptio: De causa peccati et CONTINGENTIA). *Quia enim peccatum proprie a voluntate diaboli et hominis ortum est; nec, Deo approbante aut cogente voluntates nostras, factum est, ideoque nequaquam est necessario factum, necessitate absoluta. Et quidem voluntas nostra ante peccatum vere fuit libera* (plenam habuit libertatem). *Est autem libertas voluntatis causa CONTINGENTIAE nostrarum actionum. Haec ratio, sumta a causa peccati, satis illustris est, et opponenda est aliis rationibus, quae omnino tollunt CONTINGENTIAM, quae in curiosis ingeniis saepe magnos tumultus excitant. — Ideo defendenda est CONTINGENTIA, ne Deum faciamus auctorem seu causam peccati. Et libertas donum Dei est, seu ordinatio Dei in voluntate. Quare etiamsi praevidet Deus et determinat contingentia; tamen ita determinat, ne modum agendi voluntatis seu ordinationem suam tollat. — Nec invehenda sunt in ecclesiam deliramenta de Stoico fato, aut περὶ τῆς ἀνάγκης.* (O quantum distat *posterior* a *priore*, deliramentorum istorum fatalisque necessitatis fautore ac defensore!) *Nihil enim habent firmi, sed sunt merae praestigiae ac sophisticae concertationes. Deinde non est obscurum, quantum haec opinio noceat pietati et moribus,* (*prior* hanc opinionem pro firmissima, utilissima, maximeque pia habuit —), *si sic sentiant homines, ut Zenonis servulus dicebat, non debere se plecti, quia Stoico fato coactus esset peccare. Ab his opinionibus decet pios auribus atque animis ABHORRERE.*" — Clarius magisque perspicue num explicare potuisset *Melanchthon* noster sententiam de vera voluntatis humanae arbitriique libertate, et causa peccati? Non crediderim.

Talis igitur ac tanta cum sit *prioris* et *posterioris* diversitas, a viris doctis quidem jam dudum in duabus illis Locorum theol. editionibus reperta, ab interpretibus autem Confessionis *invariatae omnibus*, *quod sciam*, adhuc neglecta; profecto operae pretium est, diligenter quaerere, loquaturne in Confessione *invariata*, et nominatim in ejus Articulo *de causa peccati*, *Melanchthon posterior*, quae est vulgaris opinio, an *prior*, quae est mea sententia, eaque, uti mihi videtur, verissima.

**) Meo igitur judicio loquitur prior hoc quidem sensu: Tametsi Deus creat et conservat naturam; tamen causa peccati est voluntas diaboli et impiorum hominum. Quae quidem utraque voluntas, cum Deus eam non adjuvaret, cum Deus per Spiritum sanctum, gubernatorem, angelo illi bono, qui postea diabolus factus

est, et protoplastis nostris, non amplius adesset, eosdemque ad recta inflammare desineret, avertit se a Deo: qua de aversione, diabolum quidem quod attinet, Christus Joh. VIII. loquitur.

Omnia redeunt ad legitimam interpretationem verborum — non adjuvante Deo — quae per se spectata videntur ambigua. In Locis theol. a. 1555. pag. 78. leguntur haec: „Secunda causa non agit sine prima, scil. sustentante. Hoc universaliter verum est; sed non semper — adjuvante. Non enim adjuvat prima effectum, quem non vult. Est igitur voluntas Evae immediata causa sui actus, cum avertit se a Deo." — Si quis igitur illa verba per se sola spectat, facile existimare potest, sensum illorum esse hunc: ita, ut Deus hanc voluntatis aversionem neque vellet, neque adjuvaret, ut eum non promoveret, ut nihil ad eam conferret (ohne diese Abwendung des Willens zu wollen und zu befördern, oder selbst etwas dazu beyzutragen). Haec ambiguitas Theologos videtur fefellisse, adeo, ut Melanchthonem posteriorem loqui putarent, nihilque h. l. cernerent, quod esset absurdum, Deoque sancto indignum. *Boernerus* in Instit. Theol. symb. ne verbo quidem attingit locum nostrum, quasi verba — non adjuvante Deo — nihil plane habeant difficultatis aut offensionis.

Cum vero adjuvandi verbum etiam in bonam partem dicatur, ac de Deo usurpatum ad auxilium plerumque referatur, quod ipse in virtutis studio hominibus praestat; additamentum illud — non adjuvante Deo — etiam de intermissione et cessatione auxilii divini, ad integritatis perpetuitatem bonaeque naturae firmitatem et constantiam necessarii, intelligi, et sic explicari potest: quia Deus non adjuvit, quia auxilio, quo carere non poterant, praesto non fuit.

Etsi hae duae interpretationes, si verba per se spectantur, excogitari possunt; tamen, cum sibi invicem ita oppositae sint, velut Etiam et Non, et Deus secundum priorem ab omni culpa purgetur, et secundum posteriorem omnis culpa in Deum transferatur, profecto nulla ratione licet utramque conjungere, sed, nisi maxime ineptire, legesque interpretandi gravissime migrare aut tollere velis, necessario alterutra, vel prior, vel posterior, est eligenda. Inter Etiam et Non nihil tertium relinquitur.

Non igitur satis mirari possumus temeritatem *Baumgartenii*, qui, cum verba — non adjuvante Deo — aliquantum difficultatis et offensionis habere probe sentiret, et tamen Melanchthonem posteriorem in iis reperire vellet, horrendo artificio, tanti viri personâ indignissimo ac prorsus spernendo, usus esse legitur in den Erläuterungen der symbolischen Schriften der evangelisch-Lutherischen Kirche Halle 1747. Verba ejus haec sunt: „Das Unterbleiben oder die Entziehung des göttlichen Beistandes (Jam igitur verba — *non adjuvante Deo* — de intermissione et cessatione auxilii divini, ad integritatis perpetuitatem bonaeque naturae firmitatem et constantiam necessarii, interpretatur —), wird hier nicht als etwas willkührliches, und vorläufiges angeführt, so vor allem Verhalten der Geschöpfe vorhergehe, und schlechterdings unvermeidlich sey, (hoc sumit et fingit: nam verba — non adjuvante Deo — praecedunt, et post ea legimus haec: avertit se a Deo —), sondern als eine Folge des unterlassenen rechtmäßigen Gebrauchs, oder Misbrauchs des Willens der Geschöpfe. (De intermisso usu voluntatis vel abusu ne verbum quidem legitur, sed aversio voluntatis a Deo proponitur tanquam consequens intermissi auxilii divini —). Folglich (Mira concludendi ratio!) wird dadurch Gott im geringsten nicht zur zufälligen Ursache der Sünde gemacht, vielmehr das Gegentheil behauptet, daß Gott dazu ganz und gar NICHTS BEYTRAGE, oder auf keinerley Weise dazu (zur Sünde) HELFE." — Nunc igitur interpretationem, quam priore loco posuimus, cupide arripit, et utriusque interpretationis conglutinatione lectores docere conatur, album esse album, simulque non album, nigrum esse nigrum, simulque non nigrum. ! ! ! O quantum valet voluntas humana ad intellectum! O quanta est vis cupiditatis in Confessione invariata ubique reperiendi Melanchthonem posteriorem!

Nullo pacto utramque illam interpretationem simul locum habere posse, sed alterutram, vel priorem, vel posteriorem, interpreti eligendam esse, dabunt, spero, omnes. Meo judicio hanc eligendam esse, et

Melanchthonem loqui priorem, dixi quidem, sed nondum docui. Itaque primum docebo, certe maxime probabilem esse meam sententiam; deinde vero, non solum summae probabilitatis laudem mereri, sed verissimam quoque esse et certissimam.

Summae probabilitatis rationes habeo has:

1) *Melanchthon* et in Confessione et in Apologia, ubi de causa peccati agitur, de voluntate quidem diaboli et hominum loquitur, sed hujus voluntatis libertatem in utraque ne verbo quidem attingit, quam *Melanchthon* posterior pluribus inculcare solet.

2) Neque in Confessione, neque in Apologia contingentia actionum humanarum vel verbo attingitur, sine qua *Melanchthon* posterior sanctitatem Dei excusari purgarique posse iterum iterumque negat.

3) Verba — *non adjuvante Deo* — in editione variata non leguntur. Si eo sensu, qui vulgo probatur, capienda, et hoc consilio a *Melanchthone* addita essent, ut sancti Dei honor defenderetur, omnisque culpa in diabolum ipsum et impios transferretur, atque a pravo liberae voluntatis usu repeteretur; num credibile est, eum illa verba fuisse deleturum, et in variata sua omissurum? Nonne potius vel retinenda fuissent, vel, ad omnem ambiguitatem removendam, cum aliis verbis, velut his — *neque approbante, neque cogente Deo — non irritante Deo ad malum, non impellente Deo ad peccandum* — aut similibus permutanda?

Sed quid multa? Profecto supersedere poteramus sententiae nostrae probabilitatem summam ostendendi negotio. In promtu enim nobis est alia ratio, quae una omnem rem conficit, sententiaeque nostrae veritatem ita docet et confirmat, ut nullus recte dubitandi relinquatur locus. A nobis quidem est Confessio germanica, quae ita habet: „— wie denn des Teufels Wille ist und aller Gottlosen, welcher (Wille) ALSBALD (statim), SO GOTT DIE HAND ABGETHAN, (simulac Deus manum auxiliatricem averterat, ut primum voluntatem eorum adjuvare desierat), SICH VON GOTT ZUM ARGEN GEWANDT HAT (se a Deo ad peccandum avertit. Intermissio ac defectus auxilii antecessit, aversio voluntatis consecuta est; non contra.

Qui germanice docendus non est, sed germanicum loquendi usum probe tenet, is negare non poterit, phrasin germanicam die Hand abthun, die Hand von jemanden abziehen, idem valere, quod einem seine Hülfe, seine hülfreiche Hand entziehen, ihn nicht mehr unterstützen, ac de eo usurpari, qui alicui, cui antea praesto fuerat, non amplius adest, auxiliari non pergit, qui aliquem auxilio suo, quo ille indigebat, destituit, quem ad certum quoddam tempus adjuverat, sibi soli relinquit. — Sic aperte respondet Confessio germanica latinae, latina germanicae, et utriusque est unus idemque sensus.

Ergo secundum Confessionem invariatam non modo hominibus protoplastis in ipso integritatis statu auxilium divinum necessarium fuit ad naturae suae integritatem conservandam, sed ne angeli quidem eo carere potuerunt. Ne hi quidem vera voluntatis libertate praediti fuerunt, cujus recto usu naturae suae integritatem tuerentur. Qui angeli boni manserunt, hi Dei beneficio, Deo voluntatem eorum adjuvante, gubernante, atque ad recta inflammante, boni manserunt, neque semet ipsi in bono confirmarunt, sed a Deo confirmati sunt. Cur igitur Deus angelum illum, qui et ipse bonus cum sociis suis creatus est, postea vero diabolus daemonumque malorum princeps esse coepit, auxilio suo destituit, sicque effecit, ut cum sociis suis peccaret, ac diabolus fieret? Nempe ex absoluto decreto, pro arbitrio divino. Sic placuit Deo — Cur Deus protoplastos, sine vitio conditos, per Spiritum suum sanctum, gubernantem, et ad recta inflammantem, non constanter adjuvit, sicque effecit, ut peccatores miseri fierent? Scilicet ex absoluto decreto, pro arbitrio suo divino. Sic visum est Deo. —

Lutherus: „Ich habe, inquit, müssen erfahren St. Peters Spruch: Crescite in cognitione Domini.“ — Idem *Melanchthoni* usu venit, qui et ipse non prior mansit, qualis, ut etiam *Lutherus*, a. 1530. fuit, sed a. 1535. in Locis suis posterior factus est. *Lutherus*, opinionum suarum paulo tenacior, de libero arbitrio, causa peccati, ac praedestinatione diutius errare perrexit. Nam non solum a. 1534. haec scripsit: „In geistlichen und göttlichen Sachen, was der Seele Heil betrifft, da ist der Mensch, wie die Salz-Säule, wie Loths Weib, ja wie ein Klotz und Stein, wie ein todt Bild, das weder Sinn, noch Herz braucht“ — sed etiam a. 1537. (Artic. Smalcald. haec posuit: Darum sind das eitel Irrthum und Blindheit wider diesen Artikel (de peccato), das die Schul-Theologen gelehrt haben, nämlich: — daß der Mensch habe einen freyen Willen, Gutes zu thun, und Böses zu lassen, und wiederum, Gutes zu lassen, und Böses zu thun.“ —

Etsi *Lutherus* et ipse tandem opiniones illas missas fecisse, et ante suum certe obitum rectius sensisse videtur; tamen annum, quo sententiam mutaverit, et hanc sententiae mutationem verbis satis perspicuis expresserit, equidem definire non possum.

Cochlaeus (vide ejus Bedenken über die 28 Augsburgische Artikel, an den römischen König überreicht, den 17ten Junii 1540. Hagenau.' Opp. Luth. Hal. Tom. XVII. pag. 483.) Lutheranos his verbis accusat: „Man ist auch hierinne einig gewesen im Ausschuß; aber doch wäre auch hier nöthig, daß die irrigen und ärgerlichen Schriften derselben Prediger, sonderlich *Lutheri* und *Melanchthonis*, die sie wider den freyen Willen ausgegeben, von ihnen widerrufen und weggethan würden, darinnen sie mit großer Heftigkeit gelehrt haben, der Mensch habe keinen freyen Willen, sondern Gott wirke in uns Beydes, Gutes und Böses, und er sey die wirkende Ursache der Sünden im Menschen, und Alles geschehe aus Nothzwang, daß es anders nicht gehen könne, weil der Mensch keine Freyheit seines Willens habe, und es bey ihm nicht stehe, etwas zu thun, oder nicht, sondern bei Gott, der alles im Menschen wirke, es sey gut, oder böse. Daher noch viele Menschen im Irrthum sagen: Gott will mich so haben, und so muß ich thun; es kann anders nicht seyn. — Wie soll ein beständiger Friede und Einigkeit gestiftet werden, wenn dergleichen Schriften und Lehren im Volk, sonderlich bey der Jugend getrieben werden, die *Philippo* anhanget, und man sie nicht widerrufet und abschafft?“ — Haec accusatio et querela *Cochlaei*, qui neque locos a. 1535., neque Conf. variatam a. 1540. legisse videtur, *haudscioan* — omnino injusta non sit dicenda. —

Quae cum ita sint; quemlibet spero facile intelligere, nostram disquisitionem, pristinam illam, jam nono hujus seculi anno (ante *Tittmannianam* librorum symbolicorum editionem) publicatam, nunc vero adauctam, non modo Confessionis interpreti multum prodesse, verum etiam multum valere ad recte judicandum de sacramento religionis publico, quo doctores adstringuntur.

Abhorrent nostri, et recte quidem, a Calvinianorum decreto absoluto, idque maxime detestari doctores jubentur; et tamen in Confessione Augustana, quae in libris symbolicis principatum tenet, praecipuamque habet auctoritatem, illud ipsum decretum haud dubie probatur ac docetur. Si secundum invariatam, quam tanquam normam credendi docendique normatam nostri unice et omnino sequi jubentur, necessario docendum est; voluntatis humanae servitus et Calvinianorum praedestinatio non potest non probari ac defendi. Quod quidem si magistratus, jusjurandum a doctoribus religionis postulantes, et vero etiam ipsi religionis doctores, sacramentum religionis praestare jussi, recte cogitassent, satisque perpendissent; aliter, credo, ab utrisque res cecidisset.

De fide et bonis operibus.

Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quae exstant, de decem praeceptis, et alia simili argumento, testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitae generibus et officiis, quae genera vitae, quae opera in qualibet vocatione, Deo placeant. De quibus rebus olim parum

docebant concionatores. Tantum puerilia et non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatum, et similia.

Haec adversarii nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde praedicant haec inutilia opera, ut olim. Praeterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent, nos non tantum operibus justificari, sed conjungunt fidem et opera, et dicunt, nos fide et operibus justificari: quae doctrina tolerabilior est priore, et plus afferre potest consolationis, quam vetus ipsorum doctrina.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in ecclesia praecipuam esse, tam diu jacuerit ignota (quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei justitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in ecclesiis); nostri de fide sic admonuerunt ecclesias:

Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum, et gratiam et justificationem, sed hanc tantum fide consequamur (consequimur), credentes, quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator et propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit, operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum et gratiam, et quaerit sine Christo, humanis viribus, viam ad Deum, cum Christus de se dixerit: Ego sum via, veritas, et vita.

Haec doctrina de fide ubique in *Paulo* tractatur. Eph. II.: Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus cet.

Et ne quis cavilletur, a nobis novam *Pauli* interpretationem excogitari, tota haec causa habet testimonia Patrum. Nam *Augustinus* multis voluminibus defendit gratiam et justitiam fidei contra merita operum, et similia docet *Ambrosius* de vocatione gentium, et alibi. Sic enim inquit de vocatione gentium: „Vilesceret redemtio sanguinis Christi, nec misericordiae Dei humanorum operum praerogativa succumberet, si justificatio, quae fit per gratiam, meritis praecedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis."

Quanquam autem haec doctrina contemnitur ab imperitis; tamen experiuntur piae ac pavidae conscientiae, plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiae non possunt reddi tranquillae per ulla opera, sed tantum fide, cum certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum: quemadmodum *Paulus* docet Rom. V.: Justificati per fidem pacem habemus apud Deum. Tota haec doctrina ad illud certamen perterrefactae conscientiae referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare male judicant de ea re homines imperiti et profani, qui christianam justitiam nihil esse somniant, nisi civilem et philosophicam justitiam.

Olim vexabantur conscientiae doctrinâ operum, non audiebant ex evangelio consolationem. Quosdam conscientia expulit in desertum, in monasteria, sperantes, ibi se gratiam merituros esse per vitam monasticam. Alii alia excogitaverunt opera ad promerendam gratiam et satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Christum tradere et renovare, ne deesset consolatio pavidis conscientiis, sed scirent, fide in Christum apprehendi gratiam, et remissionem peccatorum et justificationem.

Admonentur etiam homines, quod hic nomen fidei non significet tantum historiae notitiam, qualis est in impiis et diabolo, sed significet fidem, quae credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiae, videlicet hunc articulum: REMISSIONEM PECCATORUM — quod videlicet per Christum habeamus gratiam, justitiam, et remissionem peccatorum.

Jam qui scit, se per Christum habere propitium Patrem, is vere novit Deum, scit, se ei curae esse, invocat eum, denique non est sine Deo, sicut gentes. Nam diaboli et impii non possunt hunc articulum credere: REMISSIONEM PECCATORUM. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil

boni ab eo exspectant. *Augustinus* etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, et docet, in Scripturis nomen fidei accipi non pro notitia, qualis est in impiis, sed pro fiducia, quae consolatur et erigit perterrefactas mentes.

Praeterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus, per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corda renovantur, et induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait *Ambrosius*: „Fides bonae voluntatis et justae actionis *genitrix* est.“ Nam humanae vires, sine Spiritu sancto, plenae sunt impiis affectibus, et sunt imbecilliores, quam ut bona opera possint efficere coram Deo. Ad haec sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera: quemadmodum est videre in philosophis, quod (qui) et ipsi, conati honeste vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide et sine Spiritu sancto, et tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc facile apparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi praecepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, a Deo nihil exspectat, non tolerat crucem, sed quaerit humana praesidia, confidit humanis praesidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates et humana consilia, cum abest fides et fiducia erga Deum. Quare et Christus dixit: „Sine me nihil potestis facere.“ Joh. XV. Et ecclesia canit: „Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.“ —

De cultu Sanctorum DOCENT, quod memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, et bona opera, juxta vocationem; ut Caesar imitari potest exemplum *Davidis* in bello gerendo ad depellendos Turcas a patria: nam uterque rex est. Sed Scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium a Sanctis.*) Quia unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, pontificem, et intercessorem, *hic* invocandus est, et promisit, se exauditurum esse preces nostras, et *hunc* cultum maxime probat, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus. 1 Joh. II.: „*Si quis peccat, habemus advocatum apud Deum.* cet.“

Haec fere summa est doctrinae apud nos, in qua cerni potest nihil inesse, quod discrepet a Scripturis, vel ab ecclesia catholica, vel ab ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est. Quod cum ita sit; inclementer judicant isti, qui nostros pro haereticis haberi postulant.

Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in ecclesias irrepserunt, in quibus, etiamsi qua esset dissimilitudo, tamen decebat haec lenitas Episcopos, ut propter confessionem, quam modo recensuimus, tolerarent nostros, quia ne Canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus ubique esse postulent, neque similes unquam omnium ecclesiarum ritus fuerunt: quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter servantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes ceremoniae, omnia vetera instituta, in ecclesiis nostris aboleantur. Verum publica querela fuit, abusus quosdam in vulgaribus ritibus haerere. Hi, quia non poterant bonâ conscientiâ probari, aliqua ex parte correcti sunt.

---

*) In comitiis Augustanis cum *Cochlaeus* dogma pontificium de invocatione Sanctorum sic defenderet, ut ad auctoritatem ecclesiae *matris* confugeret, hancque *matrem* liberis praecipiendi jus ac potestatem habere vehementer urgeret; *Brentius* eum quaestione oppressit hac: At vero quomodo valere potest *matris* praeceptum, si *Pater* contrarium praecipit? — Qua quidem quaestione, acuta sane et ingeniosa, praeter omnem spem atque exspectationem audita, *Cochlaeus* iste adeo est perturbatus, ut nihil respondere posset, sed murmurans solum verbum *Patris* iteraret ac repeteret: *Pater? Pater? Pater?* —

ARTICULI,

IN QUIBUS RECENSENTUR ABUSUS MUTATI.

Cum ecclesiae apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab ecclesia catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, et contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti; rogamus, ut Caesarea Majestas clementer audiat, et quid sit mutatum, et quae fuerint causae, quo minus coactus sit populus, illos abusus contra conscientiam observare, nec habeat fidem Caesarea Majestas istis, qui, ut inflamment odia hominum adversus nostros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum, initio praebuerunt occasionem huic dissidio, et eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Caesarea Majestas haud dubie comperiet, tolerabiliorem esse formam et *doctrinae et ceremoniarum* apud nos, quam qualem homines iniqui et malevoli describunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non potest. Facile autem hoc judicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conservandam, et alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam si ceremoniae rite fiant in ecclesiis.

DE UTRAQUE SPECIE.

Laicis datur utraque species sacramenti in coena Domini, quia hic mos habet mandatum Domini. Matth. XXVI.: „*Bibite ex hoc omnes*" — ubi manifeste praecepit Christus de poculo, ut *omnes* bibant. Et ne quis possit cavillari, quod hoc ad sacerdotes pertineat, *Paulus* ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet, totam ecclesiam utraque specie usam esse.

Et diu mansit hic mos in ecclesia, nec constat, quando, aut quo auctore, mutatus sit: tametsi Cardinalis *Cusanus* recitet, quando sit approbatus. *Cyprianus* aliquot locis testatur, *populo sanguinem* datum esse. Idem testatur *Hieronymus*, qui ait: „Sacerdotes eucharistiae ministrant, et *sanguinem* Christi *populis* dividunt." Imò *Gelasius*, Papa, mandat, ne *dividatur* sacramentum. Dist. II. *De consecratione*. Cap. *Comperimus*. Tantum consuetudo non ita vetus aliud habet.

Conſtat autem, quod conſuetudo, contra mandata Dei introducta, non ſit probanda, ut teſtantur Canones. Diſt. VIII. Cap. *de Veritate* cum ſequentibus. Haec vero conſuetudo non ſolum contra Scripturam, ſed etiam contra veteres Canones et exemplum eccleſiae recepta est. Quare ſi qui maluerunt utraque ſpecie ſacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offenſione conſcientiae.

Et quia diviſio ſacramenti non convenit cum inſtitutione Christi, ſolet apud nos omitti proceſſio, quae hactenus fieri ſolita est.

DE CONJUGIO SACERDOTUM.

Publica querela fuit de exemplis ſacerdotum, qui non continebant. Quam ob cauſam et *Pius*, Papa, dixiſſe fertur, fuiſſe aliquas cauſas, cur ademtum ſit ſacerdotibus conjugium, ſed multo majores eſſe cauſas, cur reddi debeat. Sic enim ſcribit *Platina*. Cum igitur ſacerdotes apud nos publica illa ſcandala vitare vellent; duxerunt uxores, ac docuerunt, quod liceat ipſis contrahere matrimonium. Primum, quia Paulus dicit: „*Unusquisque habeat uxorem ſuam propter fornicationem.*" Item: „*Melius est nubere, quam uri.*" Secundo, Christus inquit: „*Non omnes capiunt verbum hoc* —" (Matth. XIX.), ubi docet, non omnes homines ad coelibatum idoneos eſſe, quia Deus creavit hominem ad procreationem. Gen. 1. Nec est humanae potestatis, ſine ſingulari dono et opere Dei creationem mutare. Igitur qui non ſunt idonei ad coelibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei et ordinationem Dei nulla lex humana, nullum votum, tollere potest. Ex his cauſis docent ſacerdotes, ſibi licere uxores ducere. Conſtat etiam, in eccleſia veteri ſacerdotes fuiſſe maritos. Nam et *Paulus* ait, *Epiſcopum eligendum eſſe, qui ſit maritus**). Et in Germania primum, ante annos quadringentos, ſacerdotes vi coacti ſunt ad coelibatum, qui quidem adeo adverſati ſunt, ut Archiepiſcopus Moguntinus, publicaturus edictum Rom. Pontificis de ea re, paene ab iratis ſacerdotibus per tumultum oppreſſus ſit. Et res gesta est tam inciviliter, ut non ſolum in posterum conjugia prohiberentur, ſed etiam praeſentia contra omnia jura divina et humana, contra ipſos etiam Canones, factos non ſolum a Pontificibus, ſed a laudatiſſimis ſynodis, distraherentur.

*) Confutationis fabricatores haud dubie in ſinu gaviſi ſunt, cum tandem in Confeſſione aliquid reperiſſent, quod jure reprehendi poſſe videretur. Scripſerunt haec:

„Corrumpunt quoque S. *Paulum*, quaſi praecipiat, Epiſcopum non eligere, niſi unius uxoris virum ſeu maritum, cum S. *Paulus* dicat: Epiſcopus ſit unius uxoris vir — quod non est intelligendum, quaſi debeat eſſe maritus; alioquin S. *Martinus*, *Nicolaus*, *Titus*, *Johannes*, Evangelista, imò nec Christus, fuiſſent Epiſcopi. Quare S. *Hieronymus* explicat verba *Pauli*, — quod Epiſcopus ſit unius uxoris vir, hoc est, non ſit bigamus. Veritas expoſitionis liquet non modo ex auctoritate *Hieronymi*, quae magna eſſe debet apud quemque catholicum, ſed ex S. *Paulo* quoque, qui de vidua deligenda ſcribit: Vidua eligetur non minus ſexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor. 1 Tim. V." — Miror, quod de verbo *unius* in

Confessione omisso tacuerint, et in solis verbis — Episcopum eligendum esse — corruptionem scripturae *Paulinae* viderint. In Confessione quoque germanica non legitur Eines (unius) Weibes Mann, sed eines Weibes Mann (sit maritus). Cum vero illa aetate constantiam orthographiae minus curarent germanice scribentes, legentiumque intelligentiam typorum diversitate aliisque modis, quibus nos uti solemus, parum adjuvarent; facile sumere possumus, in Confessione germanica locum Paulinum recte esse laudatum, et — eines Weibes Mann — (mulieris virum) *Melanchthonem* legi voluisse, quasi scriptum sit Eines Weibes Mann (unius mulieris vir). — Est enim in germanica Confessione oratio directa: „Es soll ein Bischoff unsträflich seyn, eines Weibes Mann. Vid. Praef. ad Caesarem: sub *uno* Christo — in *una* ecclesia — (unter einem Christo — non legitur Einem — in einer Gemeinschaft — non legitur Einer —) — Art. III. unus Christus — (ein Christus pro Ein) — Art. VII. — *una* fides, *unum* baptisma, *unus* Deus — (ein Herr, ein Glaube, eine Taufe — pro Ein, Ein, Eine —). —

Baumgartenius (Erläuterungen der symbolischen Schriften der evangelisch-Lutherischen Kirche. 1747. pag. 74.), qui verbi omissi *unius* nullam mentionem fecit, et solum exemplum germanicum ante oculos habuisse, et verba eines Weibes Mann recte legisse videtur, sic, ut significetur *unius* mulieris maritus, recte *Melanchthonem* a corruptionis crimine defendit, his verbis: „Die Stelle 1 Tim. III, 2. wird nicht als ein Beweis der allgemeinen Nothwendigkeit oder Verbindlichkeit gottesdienstlicher Lehrer zum Ehestande angeführt, sondern als ein Beweis der allgemeinen Rechtmäßigkeit und Freiheit des ehelichen Lebens derselben, ja eigentlich nur als ein historischer Beweis der Gewohnheit des apostolischen Alterthums." — Sed quamvis bene defensus sit *Melanchthon* a crimine corruptionis, quod potius in Confutationis fabricatores cadit; tamen, cum *Baumgartenius* non exemplum latinum, in quo est oratio indirecta et obliqua, et verbum *unius* deest, sed germanicum respexerit, in quo est oratio directa, et verbum eines sic scriptum, ut de unius mulieris marito certe cogitari possit, nescio, an Theologis istis pontificiis, exemplum latinum sequentibus, facturus fuisset satis. Cum enim *Melanchthon* ipse verbum *unius* omiserit, et simpliciter scripserit, — in ecclesia vetere sacerdotes fuisse maritos — (non additis verbis *unius uxoris*), et *Paulum* dicere, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus (non additis verbis: *unius uxoris*); profecto haec verba, contextus nulla ratione habita, facile in sententiam a *Melanchthonis* mente alienam detorqueri posse videntur, quasi omnes coelibes, propter coelibatum, munere episcopali indignos habuerit, neminemque, praeter maritum, hoc honore dignum judicaverit, seque hac in re *Pauli* Apostoli auctoritatem sequi statuerit. Aliud enim est, si dico: Episcopus maritus esse potest, Episcopo licet esse marito; aliud, si dico: Episcopus non maritus esse non potest, maritus esse debet. Aliud porro est, si dico: Episcopus eligendus est maritus: aliud, si dico: Episcopus eligendus est unius uxoris maritus.

Sed quanquam in Apologia de hac ipsa re sententiam suam paulo uberius exposuit („Neque tamen evangelium hos cogit ad conjugium, qui continere volunt, modo ut vere contineant. *Hanc libertatem et sacerdotibus concedendam esse sentimus.* —); tamen adversarii vel ex ipso Confessionis latinae Articulo, modo contextae orationis rationem habuissent, intelligere et potuissent et debuissent, *Melanchthonem* non omnino coelibatum improbasse, sed hoc tantum docere voluisse, sacerdotibus *licere* matrimonium contrahere, eosque, si donum continentiae non habeant, matrimonium adeo contrahere *debere*. Quam sententiam verissimam cum adversarii rejicerent; non *Melanchthon* corruptionis nomine accusandus erat, sed accusatores ipsi.

In Confessione germanica respicitur locus 1 Tim. III, 1—7.; in latina Tit. I, 5—9., ubi praecipit *Tito*, quales Presbyteros seu Episcopos eligere, singulisque in oppidis ecclesiae praeficere debeat. *Εἴ τις*, inquit, *ἐστὶν ἀνέγκλητος*, *ΜΙΑΣ γυναικὸς ἀνὴρ* (non scripsit *ΑΓΑΜΟΣ*, *ΜΗ ἔχων γυναῖκα*, neque etiam impliciter *ΓΥΝΑΙΚΟΣ ἀνὴρ*, quasi nihil aliud requiratur, quam ut sit maritus), *τέκνα ἔχων ΠΙΣΤΑ*

μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας, ἢ ἀνυπότακτα — (non fimpliciter fcripfit *TEKNA ἔχων*, quafi maritus prole carens non fit idoneus ad dignitatem epifcopalem). Si igitur *Melanchthon* hunc locum ipfum plene atque oratione directa exprimere voluisfet; haud dubie fcripfisfet: Si quis est *unius* uxoris maritus. Cum vero non virtutes maritorum a *Paulo* laudatas exponere, neque defcribere vellet, quales mariti facerdotes esfe deberent, fed hoc tantum evincere ftuderet, licere facerdotibus matrimonium inire, atque adeo, fi continentiae donum non haberent, uxorem ducere debere; fatis esfe putavit, fententiam Paulinam oratione indirecta et obliqua, omisfo verbo *unius*, hoc modo enarrare: Epifcopum eligendum esfe, *qui fit maritus.* Si enim *Paulus* dixit, quod Theologi pontificii fine fumma impudentia negare non poterant, Epifcopum eligendum esfe, qui fit *unius* uxoris maritus; *Melanchthon* recte quoque fcribere potuit, *Paulum* dixisfe, Epifcopum eligendum esfe, qui fit *maritus.*

Quod isti, neglecta auctoritate apoftolica et interpretatione grammatica, *Hieronymi* auctoritatem, magnam fcilicet, praeferant, et, collato loco 1 Tim. V, 9., *Paulum* dixisfe fingunt, eligendum esfe eum, qui *fuerit* quidem unius uxoris vir, nunc autem fit viduus, qui nuptias fecundas non contraxerit, ficque tempus praefens — *esfe* — quod Apoftolus accurate a praeterito — *fuisfe* — diftinguit, cum praeterito commifcent — (alius enim est *ὁ ὢν μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ* — alius *ὁ γεγονὼς μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ* —; equidem nefcio, utrum horum hominum, *Melanchthonem* corruptionis nomine accufantium, major fuerit ftultitia, levitas et ignorantia, an malitia, audacia et pertinacia. — De duobus illis locis Paulinis plura expofita funt in Opusculis nostris academicis pag. 171. feqq., atque in *Koerneri* libro vom Cölibat der Geiftlichen. Leipzig 1784. pag. 21 feqq.

In Apologia legimus haec: „Cum defendatur a nobis manifesta veritas; tamen adverfarii calumnias quasdam architectati funt ad cavillanda argumenta nostra." Deinde recenfet *Melanchthon* adverfariorum argumenta, conjugio facerdotum oppofita, eorumque vanitatem recte oftendit; fed, quod mireris, duorum illorum locorum *Pauli*, quos in Confesfione corruptos esfe isti fcripferant, plane nullam facit mentionem. Unde hoc filentium? Num accufationem adverfariorum prorfus indignam habuit, ad quam refponderet? An ipfe fenfit, fe locos illos non fatis caute laudasfe, parumque perfpicue ac definite explicuisfe? An ipfum fuppuduit, quod erroris certe fpeciem prodidisfe, et adverfariis fcripturae fuae reprehendendae materiam negligentiâ fuâ fuppeditasfe putaretur, veritusque est, ne ab istis, quos homines nihili appellat, aliquid didicisfe videretur? An refponfionem, quae nominatim ad illos locos pertineret, uberioremque interpretationem contineret, addere est oblitus? An alia fuit filentii caufa? — Quaecunque est: quilibet videt, *Melanchthonem* illos etiam locos facillimo negotio recte interpretari, et adverfariorum ineptias et calumnias omnes tollere ac repellere potuisfe.

Et cum, *fenefcente mundo*, paulatim natura humana fiat imbecillior, convenit profpicere, ne plura vitia ferpant in Germaniam. Porro Deus inftituit conjugium, ut esfet remedium humanae infirmitatis. Ipfi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esfe *dicunt* (ducunt), quod optandum est, ut fiat et in hoc negotio. Ac videntur ecclefiis aliquando defuturi Pastores, fi diutius prohibeatur conjugium.

Cum autem exftet mandatum Dei, cum mos ecclefiae notus fit, cum impurus coelibatus plurima pariat fcandala, adulteria, et alia fcelera, digna animadverfione boni magistratus; tamen mirum est, nulla in re majorem exerceri faevitiam, quam adverfus conjugium facerdotum. Deus *praecepit* (praecipit) honore afficere conjugium. Leges in omnibus rebuspublicis, bene conftitu-

tis, etiam apud ethnicos, maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus poenis excruciantur, et quidem facerdotes, contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob caufam, nifi propter conjugium. *Paulus* vocat doctrinam daemoniorum, quae prohibet conjugium. 1 Tim. IV. Id facile nunc intelligi potest, cum talibus fuppliciis prohibitio conjugii defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam *Cyprianus* fuadet, ut mulieres nubant, quae non fervant promiffam castitatem. Verba ejus funt haec lib. I. epistola XI.: *„Si autem perfeverare nolunt, aut non posfunt; melius est, ut nubant, quam ut in ignem deliciis fuis cadant, certe nullum fratribus aut fororibus fcandalum faciant.“* — Et aequitate quadam utuntur ipfi Canones erga hos, qui ante justam aetatem voverunt, quomodo fere hactenus fieri confuevit.

D E M I S S A.

Falfo accufantur ecclefiae nostrae, quod Misfam aboleant: retinetur enim Misfa apud nos, et fummâ reverentiâ celebratur. Servantur et ufitatae ceremoniae fere omnes, praeterquam quod latinis cantionibus admifcentur alicubi germanicae, quae additae funt ad docendum populum. Nam ad hoc unum opus est ceremoniis, ut doceant imperitos. Et non modo *Paulus* praecipit, uti lingua intellecta populo in ecclefia, fed etiam ita conftitutum est humano jure.

Adfuevit populus, ut unâ utantur facramentó, fi qui funt idonei: id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nifi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate et ufu facramenti, quantam confolationem afferat pavidis confcientiis, ut difcant Deo credere, et omnia bona a Deo exfpectare et petere. Hic cultus delectat Deum; talis ufus facramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud adverfarios Misfae majore religione fieri, quam apud nos.

Conftat autem, hanc quoque publicam et longe maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisfe, quod Misfae turpiter profanarentur, collatae ad quaestum. Neque enim obfcurum est, quam late pateat hic abufus in omnibus templis, a qualibus celebrentur Misfae, tantum propter mercedem aut ftipendium, quam multi contra interdictum Canonum celebrent. *Paulus* autem graviter minatur his, qui indigne tractant eucharistiam, cum ait: *„Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et fanguinis Domini.“* — Itaque cum apud nos admonerentur facerdotes de hoc peccato; defierunt apud nos privatae Misfae, cum fere nullae privatae, nifi quaestus caufa, fierent.

Neque ignoraverunt hos abufus Epifcopi, qui, fi correxisfent eos in tempore, minus nunc esfet disfenfionum. Antea fua disfimulatione multa vitia pasfi funt in ecclefiam ferpere. Nunc fero incipiunt queri de calamitatibus ecclefiae, cum hic tumultus non aliunde fumferit occafionem, quam ex illis abufibus, qui tam manifesti erant, ut tolerari amplius non posfent. Magnae

dissensiones de Missa, de sacramento, exstiterunt. Fortasse dat poenas orbis tam diuturnae profanationis Missarum, quam in ecclesiis tot seculis toleraverunt isti, qui emendare et poterant et debebant. Nam in Decalogo scriptum est: „*Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus.*" — At ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quaestum collata fuisse, ut Missa.

Accessit opinio, quae auxit privatas Missas in infinitum, videlicet, *quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis*, et instituerit Missam, *in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus et venialibus.* Hinc manavit publica opinio, quod Missa sit opus delens peccata vivorum et mortuorum ex opere operato. Hic coeptum est disputari, utrum una Missa, dicta pro pluribus, tantundem valeat, quantum singulae pro singulis. Haec disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant a Scripturis sanctis, et laedant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio et satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebraeos scriptum est: „*Sanctificati sumus per oblationem Jesu Christi semel.*" — Item: „*Una oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos.*" —

Item Scriptura docet, *nos coram Deo justificari per fidem in Christum*, cum credimus, nobis remitti peccata propter Christum. Jam si Missa delet peccata vivorum et mortuorum ex opere operato; contingit justificatio ex opere Missarum, non ex fide, quod Scriptura non patitur.

Sed Christus jubet facere in sui memoriam: quare Missa instituta est, ut fides in iis, qui utuntur sacramento, recordetur, quae beneficia accipiat per Christum, et erigat et consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quod vere exhibeantur nobis. Nec satis est, historiam recordari, quia hanc etiam Judaei et impii recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut *Ambrosius* ait: „*Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.*" —

Cum autem Missa sit talis communicatio sacramenti; servatur apud nos una communis Missa singulis feriis atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his, qui petunt. Neque hic mos in ecclesia novus est. Nam veteres ante *Gregorium* non faciunt mentionem privatae Missae. De communi Missa plurimum loquuntur. *Chrysostomus* ait, *sacerdotem quotidie stare ad altare, et alios ad communionem arcessere, alios arcere.* Et ex Canonibus veteribus apparet, unum aliquem celebrasse Missam, a quo reliqui Presbyteri et Diaconi sumserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Nicaeni: „*Accipiant Diaconi secundum ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel a Presbytero, sacram communionem.*" — Et *Paulus* de communione jubet, ut alii alios exspectent, ut fiat communis participatio.

Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum ecclesiae ex Scriptura et Patribus; confidimus, improbari eam non posse, maxime cum publicae ceremoniae, magna ex parte, similes usitatis serventur. Tantum numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos et mani-

festos abusus certe moderari prodesset. Nam olim etiam in ecclesiis frequentissimis non fiebat quotidie Missa, ut testatur historia tripartita lib. IX. cap. 38.: „*Rursus autem in Alexandria quarta et sexta feria Scripturae leguntur, easque doctores interpretantur, et omnia fiunt, praeter solennem oblationis morem.*“ —

DE CONFESSIONE.

Confessio in ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis et absolutis. Et docetur populus diligentissime de fide absolutionis, de qua ante haec tempora magnum erat silentium. Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei, et mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clavium, et commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientiis, et quod requirat Deus fidem, ut illi absolutioni tanquam voci de coelo sonanti credamus, et quod illa fides vere consequatur et accipiat remissionem peccatorum. Antea immodice extollebantur satisfactiones; fidei et meriti Christi, ac justitiae fidei, nulla fiebat mentio. Quare in hac parte minime sunt culpandae ecclesiae nostrae. Nam hoc etiam adversarii tribuere nobis coguntur, quod doctrina de poenitentia diligentissime a nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandae conscientiae curâ enumerandi *omnia* delicta, quia impossibile est, *omnia* delicta recitare, ut testatur Psalmus: „*Delicta quis intelligit?*“ — Item *Jeremias:* „*Pravum est cor hominis et inscrutabile.*“ — Quod si nulla peccata, nisi recitata, remitterentur; nunquam acquiescere conscientiae possent, quia plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt. Testantur et veteres scriptores, enumerationem non esse necessariam. Nam in Decretis citatur *Chrysostomus*, qui ait: „*Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo prophetae dicenti: Revela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum judicem, cum oratione. Delicta tua pronuncia non linguâ, sed conscientiae tuae memoriâ* cet.“ — Et Glossa de poenitentia Dist. V. Cap. *Consideret*, fatetur, humani juris esse confessionem. Verum confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates, apud nos retinetur.

DE DISCRIMINE CIBORUM.

Publica persuasio fuit non tantum vulgi, sed etiam docentium in ecclesiis, quod discrimina ciborum, et similes traditiones humanae, sint opera utilia ad promerendam gratiam et satisfactoria pro peccatis. Et, quod sic senserit mundus, apparet ex eo, quia quotidie instruebantur novae ceremoniae, novi Ordines, novae feriae, nova jejunia; et doctores in templis exigebant

haec opera tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam, et vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus multa incommoda in ecclesia secuta sunt.

Primo, obscurata est doctrina de gratia et justitia fidei, *quae est praecipua pars evangelii, et quam maxime oportet exstare et eminere in ecclesia*, ut meritum Christi bene cognoscatur, et fides, quae credit, remitti peccata propter Christum, longe supra opera collocetur. Quare et *Paulus* in hunc locum maxime incumbit, legem et traditiones humanas removet, ut ostendat, justitiam christianam aliud quiddam esse, quam hujusmodi opera, videlicet fidem, quae credit, peccata gratis remitti propter Christum. At haec doctrina *Pauli* paene tota oppressa est per traditiones, quae pepererunt opinionem, quod per discrimina ciborum et similes cultus oporteat mereri gratiam et justitiam. In poenitentia nulla mentio fiebat de fide; tantum haec opera satisfactoria proponebantur; in his videbatur poenitentia tota consistere.

Secundo, hae traditiones obscuraverunt praecepta Dei, quia traditiones longe praeferebantur praeceptis Dei. Christianismus totus putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, vestitus. Hae observationes erant in possessione honestissimi tituli, quod essent vita spiritualis et vita perfecta. Interim mandata Dei juxta vocationem nullam laudem habebant. Quod paterfamilias educabat sobolem, quod mater pariebat, quod Princeps regebat rempublicam, haec putabantur esse opera mundana et imperfecta, et longe deteriora illis splendidis observationibus. Et hic error valde cruciavit pias conscientias, quae dolebant, se teneri imperfecto vitae genere, in conjugio, in magistratibus, aut aliis functionibus civilibus; mirabantur monachos et similes, et falso putabant, illorum observationes Deo gratiores esse.

Tertio, traditiones attulerunt magna pericula conscientiis, quia impossibile erat, omnes traditiones servare, et tamen homines arbitrabantur, has observationes necessarios esse cultus. *Gerson* scribit, multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem conscivisse, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, et interim consolationem nullam de justitia fidei et de gratia audierant.

Videmus, Summistas et Theologos colligere traditiones, et quaerere ἐπιεικείας, ut levent conscientias; non satis tamen expediunt, sed interdum magis injiciunt laqueos conscientiis. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatae scholae et conciones, ut non vacaverit attingere Scripturam, et quaerere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate civilium rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaque *Gerson* et alii quidam Theologi graviter questi sunt, se his rixis traditionum impediri, quo minus versari possint in meliore genere doctrinae. Et *Augustinus* vetat onerare conscientias hujusmodi observationibus, et prudenter admonet *Januarium*, ut sciat, *eas indifferenter* observandas esse: sic enim loquitur.

Quare nostri non debent videri hanc caufam temere attigisse, aut odio Episcoporum, ut quidam falso suspicantur. Magna necessitas fuit, de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus male intellectis, admonere ecclesias. Nam evangelium cogit urgere doctrinam in ecclesiis de gratia et justitia fidei, quae tamen intelligi non potest, si putent homines, se mereri gratiam per observationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per observationem traditionum humanarum non possimus gratiam mereri aut justificari: quare non est sentiendum, quod hujusmodi observationes sint necessarius cultus. Addunt testimonia ex Scriptura.

Christus Matth. XV. excusat Apostolos, qui non servaverant usitatam traditionem, quae tamen videbatur de re non illicita, sed media esse, et habere cognationem cum baptismatibus legis, et dicit: „*Frustra colunt me mandatis hominum.*“ — Igitur non exigit cultum inutilem. Et paulo post addit: „*Omne, quod intrat in os, non inquinat hominem.*“ — Item Rom. XIV.: „*Regnum Dei non est esca aut potus.*“ — Col. II.: „*Nemo judicet vos in cibo, potu, sabbato, aut die festo.*“ — Item: „*Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi; quare tanquam viventes in mundo decreta facitis?: Ne attingas, Ne gustes, Ne contrectes.*“ — Act. XV. ait *Petrus:* „*Quare tentatis Deum, imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri, Jesu Christi, credimus salvari, quemadmodum et illi.*“ — Hic vetat *Petrus* onerare conscientias pluribus ritibus sive *Mosis*, sive aliis. Et 1 Tim. IV. (*Paulus*) vocat *prohibitionem ciborum doctrinam daemoniorum*, quia pugnat cum evangelio, talia opera instituere, aut facere, ut per ea mereamur gratiam, aut quod non possit exsistere christianismus sine tali cultu.

Hic objiciunt adversarii, quod nostri prohibeant disciplinam et mortificationem carnis, sicut *Jovinianus.* Verum aliud *deprehendetur* (deprehenditur) ex scriptis nostrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones. Haec est vera, seria, et non simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri, et crucifigi cum Christo. Insuper docent, quod quilibet Christianus debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitiis et laboribus sic exercere et coërcere, ne saturitas aut desidia exstimulet ad peccandum: non ut per illa exercitia mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper urgere, non solum paucis et constitutis diebus, sicut Christus praecipit: „*Cavete, ne corpora vestra graventur crapulâ.*“ — Item: „*Hoc genus daemoniorum non ejicitur, nisi jejunio et oratione.*“ — Et *Paulus* ait: „*Castigo corpus meum, et redigo in servitutem.*“ — ubi clare ostendit, se ideo castigare corpus, non ut per eam disciplinam mereatur remissionem peccatorum, sed ut corpus habeat obnoxium et idoneum ad res spirituales, et ad faciendum officium juxta vocationem suam. Itaque non damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, quae certos dies, certos (cibos) praescribunt cum periculô conscientiae, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.

Servantur tamen apud nos pleraeque traditiones, quae conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in ecclefia, ut ordo lectionum in Missa, et praecipuae feriae. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non justificet coram Deo, et quod non fit ponendum peccatum in talibus rebus, fi omittantur fine fcandalo. Haec libertas in ritibus humanis non fuit ignota Patribus. Nam in Oriente alio tempore fervaverunt pafcha, quam Romae, et cum Romani propter hanc disfimilitudinem accufarent Orientem fchismatis, admoniti funt ab aliis, tales mores non oportere ubique fimiles esfe. Et *Irenaeus* inquit: „*Disfonantia jejunii fidei confonantiam non folvit*" — ficut et Dift. XII. *Gregorius*, Papa, fignificat, *talem disfimilitudinem non laedere unitatem ecclefiae.* Et in historia tripartita lib. IX. multa colliguntur exempla disfimilium rituum, et recitantur haec verba: „*Mens Apoftolorum fuit, non de diebus festis fancire, fed praedicare bonam converfationem et pietatem.*" —

DE VOTIS MONACHORUM.

Quid de votis monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, fi quis meminerit, qualis ftatus fuerit monasteriorum. Quam multa contra Canones in ipfis monasteriis quotidie fiebant! *Augustini* tempore erant libera collegia; postea corruptâ difciplinâ, ubique addita funt vota, ut, tanquam excogitato carcere, difciplina reftitueretur. Additae funt paulatim fupra vota aliae multae obfervationes. Et haec vincula multis ante justam aetatem contra Canones injecta funt. Multi inciderunt errore in hoc vitae genus, quibus etiamfi non deesfent anni, tamen judicium de fuis viribus defuit. Qui fic irretiti erant, cogebantur manere, etiamfi quidam beneficio Canonum liberari posfent. Et hoc accidit magis etiam in monasteriis virginum, quam monachorum, cum fexui imbecilliori magis parcendum esfet. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante haec tempora, qui videbant, puellas et adolefcentes in monasteria detrudi propter victum, videbant, quam infeliciter fuccederet hoc confilium, quae fcandala pareret, quos laqueos confcientiis injiceret. Dolebant, auctoritatem Canonum in re periculofisfima omnino negligi et contemni.

Ad haec mala accedebat talis perfuafio de votis, quam conftat etiam olim displicuisfe ipfis monachis, fi qui paulo cordatiores fuerunt. Docebant, vota paria esfe baptismo; docebant, fe hoc vitae genere mereri remisfionem peccatorum et justificationem coram Deo. Imô addebant, vitam monasticam non tantum justitiam mereri coram Deo, fed amplius etiam, quia fervaret non modo *praecepta*, fed etiam *confilia evangelica.* Ita perfuadebant, monasticam profesfionem longe meliorem esfe baptismo, vitam monasticam plus mereri, quam vitam magistratuum, vitam pastorum, et fimilium, qui in mandatis Dei fine factitiis religionibus fuae vocationi ferviunt. Nihil horum negari potest: exftant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in monasteriis? Olim erant fcholae facrarum literarum, et aliarum difciplinarum, quae funt utiles ecclefiae, et fumebantur inde Pastores et Epifcopi. Nunc alia res

est. Nihil opus est recitare acta. Olim ad discendum conveniebant; nunc fingunt, institutum esse vitae genus ad promerendam gratiam et justitiam, imò praedicant, esse statum perfectionis, et longe praeferunt omnibus aliis vitae generibus a Deo ordinatis.

Haec ideo recitavimus, nihil odiose exaggerantes, ut melius intelligi posset de hac re doctrina nostrorum.

Primum, de his, qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non sunt idonei ad coelibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei: „*Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam.*“ (1 Cor. VII.) Neque mandatum solum, sed etiam creatio et ordinatio Dei cogit hos ad conjugium, qui singulari Dei opere non sunt excepti, juxta illud: „*Non est bonum homini, esse solum.*“ — Igitur non peccant isti, qui obtemperant huic mandato et ordinationi Dei. Quid potest contra haec opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti, quantum volet; tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei. Canones docent, in omni voto jus superioris excipi: quare multo minus haec vota contra mandata Dei valent. Quod si obligatio votorum nullas haberet causas, cur mutari possit; nec Romani Pontifices dispensassent. Neque enim licet homini, obligationem, quae simpliciter est juris divini, rescindere. Sed prudenter judicaverunt Romani Pontifices, aequitatem in hac obligatione adhibendam esse. Ideo saepe de votis dispensasse leguntur. Nota est historia de Rege Arragonum, revocato ex monasterio, et exstant exempla nostri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant adversarii, seu effectum voti, cum interim de ipsa voti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte et consulto conceptum? At, quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, non est ignotum. Et quotusquisque sponte et consulto vovit? Puellae et adolescentes, priusquam judicare possunt, persuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur. Quare non est aequum, tam rigide de obligatione disputare, cum omnes fateantur, contra voti naturam esse, quod inconsulto admittitur. Plerique Canones rescindunt vota ante annum XV. contracta, quia ante illam aetatem non videtur tantum esse judicii, ut de perpetua vita constitui possit. Alius Canon, plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot: vetat enim ante annum XIX. votum fieri. Sed *utrum* (utrumcunque) sequemur, maxima pars habet excusationem, cur monasteria deserant, quia plurimi ante hanc aetatem voverunt.

Postremo, etiamsi voti violatio reprehendi posset; tamen non videtur statim sequi, quod conjugia talium personarum dissolvenda sint. Nam *Augustinus* negat debere dissolvi. 27 *Quaest.* 1 *Cap. Nuptiarum* — cujus non est levis auctoritas; etiamsi alii postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur plerosque liberare a votis, tamen afferunt nostri et aliam rationem de votis, quod sint irrita, quia omnis cultus Dei ab hominibus sine mandato Dei institutus, et electus ad promerendam justificationem et gratiam, impius est,

ſicut Christus ait: „*Frustra colunt me mandatis hominum.*" — Et *Paulus* ubique docet, justitiam non esſe quaerendam ex nostris obſervationibus et cultibus, qui ſint excogitati ab hominibus, ſed contingere eam per fidem credentibus, ſe recipi in gratiam a Deo propter Christum.

Conſtat autem, monachos docuisſe, quod factitiae religiones ſatisfaciant pro peccatis, mereantur gratiam et justificationem. Quid hoc est aliud, quam de gloria Christi detrahere, et obſcurare ac negare justitiam fidei? Sequitur igitur, ista vota uſitata impios cultus fuisſe: quare ſunt irrita. Nam votum impium et factum contra mandata Dei non valet: neque enim debet votum vinculum esſe iniquitatis, ut Canon dicit.

Paulus dicit: „*Evacuati estis a Christo, qui in lège justificamini: a gratia excidistis.*" — Ergo etiam, qui votis justificari volunt, evacuantur a Christo, et a gratia excidunt. Nam et hi, qui votis tribuunt justificationem, tribuunt propriis operibus hoc, quod proprie ad gloriam Christi pertinet. Neque vero negari potest, quin monachi docuerint, ſe per vota et obſervationes ſuas justificari, et mereri remisſionem peccatorum; imò affinxerunt abſurdiora, dixerunt, ſe aliis mutuari ſua opera. Haec ſi quis velit odioſe exaggerare; quam multa posſit colligere, quorum jam ipſos monachos pudet! Ad haec perſuaſerunt hominibus, factitias religiones esſe ſtatum christianae perfectionis. Annon est hoc justificationem tribuere operibus? Non est leve ſcandalum, in eccleſia populo proponere certum cultum ab hominibus excogitatum ſine mandato Dei, et docere, quod talis cultus justificet homines, quia justitia fidei, quam maxime oportet tradi in eccleſia, obſcuratur, cum illae mirificae religiones angelorum, ſimulatio paupertatis, et humilitatis, et coelibatus, offunduntur oculis hominum.

Praeterea obſcurantur praecepta Dei et verus cultus Dei, cum audiunt homines, ſolos monachos esſe in ſtatu perfectionis, quia perfectio christiana est ſerio timere Deum, et rurſus concipere magnam fidem, et confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum, petere a Deo, et certe exſpectare auxilium in omnibus rebus gerendis juxta vocationem, interim foris diligenter facere bona opera, et ſervire vocationi. In his rebus est vera perfectio, et verus cultus Dei; non est in coelibatu, aut mendicitate, aut veste ſordida. Verum populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falſis praeconiis vitae monasticae. Audit, ſine modo laudari coelibatum; ideo cum offenſione conſcientiae verſatur in conjugio. Audit, ſolos mendicos esſe perfectos; ideo cum offenſione conſcientiae retinet posſesſiones, negotiatur. Audit, conſilium evangelicum esſe de non vindicando; ideo *alii* in privata vita non verentur ulciſci, (audiunt enim, *conſilium* esſe, non *praeceptum*), *alii* omnes magistratus et civilia officia judicant indigna esſe Christianis.

Leguntur exempla hominum, qui, deſerto conjugio, deſerta reipublicae administratione, abdiderunt ſe in monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, et quaerere vitae genus, quod Deo magis placeret, nec videbant, Deo ſerviendum esſe in illis mandatis, quae ipſe tradidit, non in mandatis, quae ſunt excogitata ab hominibus. Bonum et perfectum vitae genus est, quod habet

mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante haec tempora reprehendit *Gerson* errorem monachorum de perfectione, et testatur, suis temporibus novam vocem fuisse, quod vita monastica sit status perfectionis.

Tam multae impiae opiniones haerent in votis, quod *justificent*, quod sint *perfectio christiana*, quod servent *consilia* et *praecepta*, quod habeant *opera supererogationis*. Haec omnia, cum sint falsa et inania, faciunt vota irrita.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Magnae disputationes fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt *potestatem ecclesiasticam* et *potestatem gladii*. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus exstiterunt, dum Pontifices, freti *potestate clavium*, non solum novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi transferre, et Imperatoribus adimere imperium conati sunt. Haec vitia multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii et eruditi. Itaque nostri, ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen *ecclesiasticae potestatis* et *potestatis gladii*, et docuerunt, utramque propter mandatum Dei religiose venerandam et honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, *potestatem clavium*, seu *potestatem Episcoporum*, juxta evangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, praedicandi evangelii, remittendi et retinendi peccata, et administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos: „*Sicut misit me Pater: ita et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis peccata, retenta sunt.*" — Marc. XVI. „*Ite, praedicate evangelium omni creaturae* cet." —

Haec potestas *tantum* exercetur docendo, seu praedicando verbum, et porrigendo sacramenta, vel multis, vel singulis, juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res aeternae, justitia aeterna, Spiritus sanctus, vita aeterna. Haec non possunt contingere, nisi per ministerium verbi et sacramentorum, sicut *Paulus* dicit: „*Evangelium est potentia Dei saluti omni credenti.*" — Itaque cum potestas ecclesiastica concedat res aeternas, et tantum exerceatur per ministerium verbi; non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res, quam evangelium. Magistratus defendit, non mentes, sed corpora et res corporales, adversus manifestas injurias, et coërcet homines gladio, et corporalibus poenis, ut justitiam civilem et pacem retineat.

Non igitur commiscendae sunt potestates, *ecclesiastica* et *civilis*. Ecclesiastica suum mandatum habet evangelii docendi et administrandi sacramenta. Non irrumpat in alienum officium,

non transferat regna mundi, non abroget leges magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non praescribat leges magistratibus de forma reipublicae, sicut dicit Christus: „*Regnum meum non est de hoc mundo.*" — Item: „*Quis constituit me judicem aut divisorem super vos?*" — Et *Paulus* ait Philipp. III: „*Nostra politia in coelis est* cet." — 2 Cor. X. „*Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destruendas cogitationes* cet." Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, et jubent utramque honore afficere, et agnoscere, utramque Dei donum et beneficium esse.

Si quam habent Episcopi *potestatem gladii*, hanc non habent Episcopi ex mandato evangelii, sed *jure humano*, donatam a Regibus et Imperatoribus, ad administrationem civilem suorum bonorum. Haec interim alia functio est, quam ministerium evangelii.

Cum igitur de jurisdictione Episcoporum quaeritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione. Porro, secundum evangelium, seu, ut loquuntur, *de jure divino*, *nulla jurisdictio* competit Episcopis, *ut Episcopis*, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi et sacramentorum, nisi remittere peccata, item, cognoscere doctrinam, et doctrinam ab evangelio dissentientem rejicere, et impios, quorum nota est impietas, excludere a communione ecclesiae, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario et de jure divino debent eis ecclesiae praestare obedientiam, juxta illud: „*Qui vos audit, me audit.*" —

Verum cum aliquid contra evangelium docent aut statuunt, tunc habent ecclesiae mandatum Dei, quod obedientiam prohibet. Matth. VII.: „*Cavete a pseudoprophetis.*" Gal. I.: „*Si angelus de coelo aliud evangelium evangelizaverit, anathema sit.*" — 2 Cor. XIII.: „*Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate.*" — Item: „*Data est nobis potestas ad aedificationem, non ad destructionem.*" — Sic et Canones praecipiunt 2. Q. 7 Cap. *Sacerdotes*; et Cap. *Oves*. Et *Augustinus* contra *Petiliani* epistolam inquit: „*Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, aut contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiunt.*"

Si quam habent aliam vel potestatem, vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum cet.; hanc habent humano jure, ubi, cessantibus Ordinariis, coguntur Principes vel inviti suis subditis jus dicere, ut pax retineatur.

Praeter haec disputatur, utrum Episcopi seu Pastores habeant jus instituendi ceremonias in ecclesia, et leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum seu ordinibus cet. condendi. Hoc jus qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium: „*Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis; docebit vos omnem veritatem.*" — Allegant etiam exemplum Apostolorum, qui *prohibuerunt* (jusserunt) abstinere a sanguine et suffocato. Allegant *sabbatum*, mutatum in diem *Dominicum*, contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur, quam mutatio sabbati. Magnam contendunt ecclesiae potestatem esse, quod dispensaverit de praecepto Decalogi.

Sed de hac quaestione nostri sic docent, quod Episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra evangelium, ut supra ostensum est. Docent idem Canones 9 Distin. Porro contra Scripturam est, traditiones condere, aut exigere, ut per eam observationem satis faciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam et justitiam. Laeditur enim gloria meriti Christi, cum talibus observationibus conamur mereri justificationem. Constat autem, propter hanc persuasionem in ecclesia paene in infinitum crevisse traditiones, oppressâ interim doctrinâ de fide et justitia fidei, quia subinde plures feriae factae sunt, jejunia indicta, ceremoniae novae, novi honores Sanctorum instituti sunt, quia arbitrabantur, se, auctores talium rerum, his operibus mereri gratiam. Sic olim creverunt Canones poenitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quaedam videmus.

Item, auctores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cum collocant peccatum in cibis, in diebus, et similibus rebus, et onerant ecclesiam servitute legis, quasi oporteat apud Christianos ad promerendam justificationem cultum esse similem Levitico, cujus ordinationem commiserit Deus Apostolis et Episcopis: sic enim scribunt quidam. Et videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicae decepti esse. Hinc sunt illa onera, *quod peccatum mortale sit, etiam sine offensione aliorum, in feriis laborare manibus; quod sit peccatum mortale, omittere horas canonicas; quod certi cibi polluant conscientiam; quod jejunia sint opera placantia Deum; quod peccatum in casu reservato non possit remitti, nisi accesserit auctoritas reservantis;* cum quidem ipsi Canones non de reservatione *culpae*, sed de reservatione *poenae ecclesiasticae* loquantur.

Unde habent jus Episcopi, has traditiones imponendi ecclesiis, ad illaqueandas conscientias, cum *Petrus* vetet imponere jugum discipulis; cum *Paulus* dicat, potestatem ipsis datam esse ad aedificationem, non ad destructionem?

Verum exstant clara testimonia, quae prohibent condere tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. *Paulus* Col. II.: „*Nemo vos judicet in cibo, potu, parte diei festi, novilunio, aut sabbatis.*" — Item: „*Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi; quare, tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas. Non gustes. Non contrectes. Quae omnia pereunt usu, et sunt mandata et doctrinae hominum, quae habent speciem sapientiae.*" — Item ad *Titum* aperte prohibet traditiones: „*Non attendentes judaicis fabulis et mandatis hominum aversantium veritatem.*" — Et Christus Matth. XV. inquit de his, qui exigunt traditiones: „*Sinite illos, caeci sunt, et duces caecorum.*" — Et improbat tales cultus: „*Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.*" —

Si jus habent Episcopi, onerandi ecclesias infinitis traditionibus, et illaqueandi conscientias; cur toties prohibet Scriptura condere et audire traditiones? Cur vocat eas doctrinas daemoniorum? Num frustra haec praemonuit Spiritus sanctus? *Relinquitur igitur*, cum ordinationes, institutae tanquam necessariae, aut cum opinione promerendae gratiae, pugnent cum evangelio, *quod non liceat ullis Episcopis tales cultus instituere, aut exigere.* Necesse est enim, in ecclesiis retineri doctrinam de libertate christiana, *quod non sit necessaria servitus legis ad justificationem*, sicut in Galatis scriptum est: „*Nolite iterum jugo servitutis subjici.*" —

Necesse est retineri praecipuum evangelii locum, quod gratiam per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas observationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de *die Dominico*, et similibus ritibus templorum? Ad haec respondent, quod liceat Episcopis, seu Pastoribus, facere ordinationes, ut res ordine gerantur in ecclesia, non ut per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiae, ut judicent, esse necessarios cultus, ac sentiant, se peccare, cum *sine offensione aliorum* violant. Sic *Paulus* ordinat, ut in congregatione mulieres velent capita, ut ordine audiantur in ecclesia interpretes cet.

Tales ordinationes convenit ecclesias propter caritatem et tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine et sine tumultu omnia fiant in ecclesiis; verum ita, ne conscientiae onerentur, ut ducant, *res esse necessarias ad salutem*, ac judicent, se peccare, cum violant eas *sine aliorum offensione*, sicut nemo dixerit, peccare mulierem, quae in publicum non velato capite procedit *sine offensione hominum*.

Talis est observatio *diei Dominici, Paschatis, Pentecostes*, et *similium feriarum* et rituum. Nam qui judicant, ecclesiae auctoritate pro sabbato institutam esse *diei Dominici observationem tanquam necessariam* *), longe errant. Scriptura abrogavit sabbatum, quae docet, omnes ceremonias Mosaicas post revelatum evangelium omitti posse.

Et tamen, *quia opus erat constituere certum diem, ut sciret populus* **), quando convenire deberet, apparet, ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent homines exemplum christianae libertatis, et scirent, nec sabbati, nec alterius diei observationem necessariam esse.

*) scil. *ad justificationem et salutem*. Haec verba subaudienda esse, contextus cum scriptura superiore et inferiore abunde docet. Utilitatem ac necessitatem publici cultus Dei M. non negat, sed agnoscit, quod e seqq. patet.

**) M. non scripsit *plebs*, quasi nobiles, eruditi, omnesque alii, qui aliquo loco ac numero esse putantur officio Deum in aedibus sacris colendi exemti sint, iisque publicum Dei cultum negligere liceat, sed *populi* nomen posuit. Consulto et recte.

Extant prodigiosae disputationes de mutatione legis, de ceremoniis novae legis, de mutatione sabbati, quae omnes ortae sunt ex falsa persuasione, quod oporteat, in ecclesia cultum esse similem Levitico, et quod Christus commiserit Apostolis et Episcopis, excogitare novas ceremonias, quae sint *ad salutem necessariae*. Hi errores serpserunt in ecclesiam, cum justitia fidei non satis clare doceretur. Aliqui disputant, *diei Dominici* observationem non quidem juris divini esse, sed *quasi* juris divini; praescribunt de feriis, *quatenus liceat operari*. Hujusmodi disputationes quid sunt aliud, nisi laquei conscientiarum? Quanquam enim conentur *epiikeizare* (mitigare, relaxare) traditiones; tamen nunquam potest aequitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur justitia fidei et libertas.

Apostoli jusserunt abstinere a sanguine. Quis nunc observat? Neque tamen peccant, qui non observant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare conscientias tali servitute, sed *ad tempus prohibuerunt* (jusserunt) propter scandalum. Est enim perpetua voluntas evangelii consideranda in decreto. Vix ulli Canones servantur accurate, et multi quotidie exolescunt apud illos etiam, qui diligentissime defendunt traditiones. Nec potest conscientiis consuli, nisi haec aequitas servetur, ut sciamus, eos sine opinione necessitatis servari, nec laedi conscientias, etiamsi traditiones exolescant.

Facile autem possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servare traditiones, quae bonâ conscientiâ servari non possunt. Nunc imperant coelibatum; nullos recipiunt, *nisi jurent, se* puram evangelii doctrinam *nolle docere.* Non petunt ecclesiae, ut Episcopi *honoris sui jacturâ* sarciant concordiam, *quod tamen decebat bonos Pastores facere.* Tantum petunt, *ut injusta onera remittant*, quae nova sunt, et praeter consuetudinem ecclesiae catholicae recepta. Fortassis initio quaedam constitutiones habuerunt probabiles causas, quae tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam, quasdam errore receptas esse: quare pontificiae clementiae esset, illas nunc *mitigare*, quia talis mutatio non labefacit ecclesiae unitatem. Multae enim traditiones humanae tempore mutatae sunt, ut ostendunt ipsi Canones. Quod si non potest impetrari, ut relaxentur observationes, quae sine peccato non possunt praestari; oportet, nos regulam apostolicam sequi, quae praecipit, Deo magis obedire, quam hominibus.

Petrus vetat Episcopos *dominari*, et ecclesiis *imperare*. Nunc non id agitur, *ut dominatio eripiatur Episcopis*, sed hoc unum petitur, *ut patiantur evangelium pure doceri*, *et relaxent paucas quasdam observationes*, *quae sine peccato servari non possunt. Quod si nihil remiserint; ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quod pertinaciâ suâ causam schismati praebent.*

EPILOGUS.

Hi ſunt praecipui Articuli, qui videntur habere controverſiam. Quanquam enim de pluribus abuſibus dici poterat; tamen, ut fugeremus prolixitatem, praecipua complexi ſumus, e quibus cetera facile judicari posſunt. Magnae querelae fuerunt de indulgentiis, de peregrinationibus, de abuſu excommunicationis. Parochiae multipliciter vexabantur per Stationarios. Infinitae contentiones erant Pastoribus cum monachis de jure parochiali, de confesſionibus, de ſepulturis, de extraordinariis concionibus, et de aliis innumerabilibus rebus. Hujusmodi negotia praetermiſimus, ut illa, quae ſunt in hac cauſa praecipua, breviter propoſita, facilius cognoſci posſent. Neque hîc quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum est. Tantum ea recitata ſunt, quae videbantur necesſario dicenda esſe, ut intelligi posſit, in doctrina ac ceremoniis apud nos nihil esſe receptum contra Scripturam aut eccleſiam catholicam, quia manifestum est, nos diligentisſime cavisſe, ne qua nova et impia dogmata in eccleſias nostras ſerperent.

Hos Articulos ſupra ſcriptos voluimus exhibere juxta edictum C. M., in quibus *confesſio nostra* exſtaret, et *eorum*, qui apud nos docent, *doctrinae ſumma* cerneretur. Si quid in hac *confesſione* deſiderabitur; parati ſumus *latiorem informationem*, Deo volente, juxta Scripturas exhibere,

Caeſareae Majestatis Vestrae

fideles et ſubditi,

Joannes, Dux Saxoniae, Elector.
Georgius, Marchio Brandenburgenſis.
Ernestus, Dux Luneburgenſis.
Philippus, Landgravius Hesſorum.
Joannes Fridericus, Dux Saxoniae.
Franciscus, Dux Luneburgenſis.
Wolfgangus, Princeps ab Anhalt.
Senatus Magistratusque Nurnbergenſis.
Senatus Reutlingenſis.

— — chartis nomen victurum fuis,
facris his dum manebit pretium literis.

FORM. CONC. PRAEF.

„Symbola non obtinent auctoritatem judicis, (haec enim dignitas *folis* literis facris debetur), fed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt, eamque explicant, ac ostendunt, *quomodo fingulis temporibus facrae literae in articulis controverfis in ecclefia Dei a doctoribus,* QUI TUM VIXERUNT, *intellectae et explicatae fuerint, et quibus rationibus dogmata cum facra fcriptura pugnantia rejecta et condemnata fint.*" — Hanc memorabilem fententiam *meo librorum fymbolicorum volumini* A. 1809. non temere praepofui, et *Confesfioni invariatae* iterum a me redditae non fine caufa postponendam putavi.

*
* *

O me beatum! O me terque quaterque beatum! Nolite mirari, *Humanisfimi Commilitones*, hanc exclamationem. Eximio enim beneficio Dei contigit mihi esfe tam felici, ut non folum anno hujus feculi XXVIII. diem meum viderem, ac disputationis, quae ante quinquaginta annos ad Magistri Lipfienfis dignitatem fcholarumque habendarum potestatem legitime confequendam defenfa erat, memoriam jubilans renovarem, fed, praeter hoc *jubilaeum femifeculare* meum, *tria* etiam *facra fecularia* vivendo asfequerer, atque in publicae rarisfimaeque laetitiae focietatem communionemque venire posfem. *Meminisfe juvat, juvabitque femper.* —

Primo loco commemorare debeo *facra fecularia tertia* Academiae Vitebergenfis, anno hujus feculi II., me ipfo Rectore, a Vitebergenfibus et ingenti hominum undique confluentium et congratulantium multitudine jucundisfime peracta.

Deinde, anno hujus feculi IX., Academiae Lipfienfis, (in qua difcens ac docens integrum decennium transegeram, neque tantum Magistri legentis, verum etiam Doctoris Scripturae facrae honore mactatus eram) *facra fecularia quarta* celebrantis laetitiam participavi.

Denique anno hujus feculi XVII. *facra fecularia tertia* diei ultimi Octobris menfis, ut in omnium purioris religionis amantium animis, ita in meo quoque, pietatis ac laetitiae divinae fenfus excitarunt.

Nonne igitur, *Carisfimi Cives*, iterum exclamare mihi liceat: *O me beatum! O me terque quaterque beatum!?* —

Placuit vero fummo numini, huic felicitati, qua me adhuc adauxit, cumulum addere, mihique, Ordinis Theologorum Fridericianae nostrae utriusque Seniori, h. t. Decano, facultatem concedere, meam de religionis christianae veritate, divina ejus et fupernaturali origine perfuafionem [*Supernaturalismum* meum *rationalem*] denuo profitendi, *Vosque ad facra Confesfionis Aug. fecularia tertia*, proximo die XXV. Junii menfis nobiscum concelebranda, nova hujus Confesfionis editione praeparandi.

Gefenius noster praecipua capita de hujus Confesfionis historia *Vobis* enarrabit; *Marcfius* noster in aedibus facris de gravitate officiorum, cum Confesfionis elaboratae, recitatae, et Imperatori exhibitae memoria conjunctorum, audientes admonebit.

Quae cum ita fe habeant, ac futura fint; ut non folum Confesfionem *Vobis* oblatam diligenter legatis, perlegatis, relegatis, cum *variata*, quae dicitur, [quae et ipfa a nobis nuper reddita est] comparetis, et, QUATENUS utraque Scripturae facrae, verae credendi, profitendi, docendi, agendique normae ac regulae confentanea est, haud inviti comprobetis, atque in ufum *Vestrum* convertatis, fed etiam utrumque doctorem, venerabilem et carum in primis, *illum* enarrantem, *hunc* dicentem, ea, qua foletis, attentione conftipati audiatis, his literis amantisfime *Vos* adhortamur: non quo, pietatis adverfus Deum officiique parum quafi memores, adhortatione nostra magnopere indigeatis, fed quod in hujusmodi invitationibus publicis adhortandi mos est et confuetudo. Agite igitur, *Dilectisfimi Commilitones*, expromite pios animi *Vestri* fenfus, divino perfufi gaudio profitemini fidem *Vestram*, et canite nobiscum ὁμοθυμαδὸν, ἐν ἑνὶ ςόματι, fymbolum hoc vere apostolicum, vere christianum:

I.

Wir glauben all' an Einen Gott,
Schöpfer Himmels und der Erden.
Der Ewige, der Götter Gott,
hiefs uns feine Kinder werden.
Er will uns auch ftets ernähren,
jedes wahre Gut gewähren.
Lafst uns unfers Vaters Willen,
heilig ist er, gern erfüllen!
Er fchläft und fchlummert nie, er wacht,
und alles fteht in feiner Macht.

II.

Wir glauben auch an Jefum Christ,
Gottes Sohn, den Eingebornen,
der Menfch für uns geworden ist,
zu erlöfen die Verlornen.
Gott gehorfam bis zum Tode
war er, bis zum Kreuzestode.
Er erftand, ftieg auf, und thronet,
wo der Freuden Fülle wohnet.
Auch uns läfst er im Grabe nicht;
er kommt, er ruft, und hält Gericht.

III.

Wir glauben an den heil'gen Geift,
der die Boten Gottes lehrte,
des Vaters und des Sohnes Geift,
der durch fie die Welt bekehrte;
der auch uns durch's Wort erneuet,
tröftet, ftärket, und erfreuet;
der uns lehrt Vergebung finden,
und der Tugend Werth empfinden.
Er flöfset uns im Todes-Schmerz
des ew'gen Lebens Troft in's Herz.
Amen.
Amen.
Amen.

P. P. Halis d. XVIII. Jun. MDCCCXXX.

DEC 4 - 1930